HORATII CHRISTIANI TRIPARTITVS
IN B. FRANCISCI SALESII GENEVENSIS EPISCOPI,

In Canonizationis Inauguratione Fidej scilicet, Spej, & Charitatis triumphus.

ALEXANDRO VII. PONT. MAXIMO

DICATVS, ET CONSECRATVS

AVTHORE FR. IACOBO LADOREO Turonensj Theologo, & Totius ordinis Minimorum PROCVRATORE GENERALI.



ROMAE Typis Ignatij de Lazaris. M.DC. LXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Ex libris P. Francisci Fumerij à Longo Caroli

[illegible]

BEATISSIMO PATRI

ALEXANDRO

SEPTIMO

SVMMO PONTIFICI.

NON diu multumque vacillauit animus BEATISSIME PATER, in quem meos dirigerem obtutus, vt tripartitum fidei ſpei & Charitatis. B. FRANCISCO SALESIO nouo Triſmegiſto triũ-

phum positum Liricis versibus concinnatum dedicarem. Debebatur hoc opusculum Illi amantissimo Pontifici, qui Beati Francisci Salesij cultor egregius, Illius Beatificationem laboribus Indefessis accelerauit, & magno cum apparatu plaudente ciuitate, & acclamante populo celebrauit. Debebatur huic summo nec non vigilantissimo Christianorum præsuli, qui firmamento Ecclesiæ hoc nouum sydus cuius benignis iuuatur influxibus, vt miraculorum iuncta magnitudini testatur multitudo affigere, per proximam

Ca-

Canonizationis pompam ſolli-
citam dat operam. Perſtringe-
bat quidem oculos luminis a ſu-
prema ſede promanantis magni-
tudo, & facultatis meæ debili-
tas ac tenuitas in tanta luce
minabatur orbitatem; ſed pater-
næ teneritudinis in obſequen-
tiſsimos filios a B. FRANCI-
SCI SALESII exemplis mu-
tuata manſuetudo titubantem
erexit, & tremebundum con-
firmauit. Nouum videbatur
quod Minimus accederet ad
ſummum. Verum cum ſupre-
mus rerum omnium modera-
tor, cuius expreſsiorem in terris

geris Imaginem humilibus aſpiciendis non dedignetur incumbere meæ ſubmiſsionis teſſeram non iniucundam fore mihi ſum pollicitus, qui virtutes illius imitari ſtudet impenſius; cuius authoritatem gerit in terris plenariam, & ſummus paſtor omnibus omnia factus ſuam non dedignabitur ouiculam. Recitata B. FRANCISCI SALESII diſplicere non poſſunt eius egregio cultori miracula, & præcipue plurium Reſurrectio mortuorum: Accedit ad miraculum quod pene de mortua pöeſis quæ per annos triginta diuer-

ſis

ſis in functionibus, tum lectio-
num theologicarum, tum con-
cionum ad populum habitarum,
tum in alijs Religionis negotijs
occupato ſiluerat, afflante B.
FRANCISCO SALESIO ſur-
rexerit,quo fænore iudicare non
eſt meum, Horatij nomen im-
poſitum propter affinitatem ver-
ſuum cum antiquo. Chriſtiani
nomen eſt additum & non in-
decore,cum omnia pene Reli-
gionis noſtræ dogmata explicē-
tur,nec non B. FRANCISCO
SALESIO applicentur. Tri-
partitum nominaui triumphum,
nouus quippe Triſmegiſtus ap-
pa-

paret Theandrico insignis, &
coram homine Deo magnus, vt
omnium mysteriorum fidei def-
fensor acerrimus. Coram Im-
maculata Virgine cuius deuo-
tionis lacte potatus a teneris vt
ita dicam vnguiculis magnus
esse videbitur in spe Filiorum
Dei; & cum charitate consum-
matus fuerit versus amantissi-
mam Christi sponsam meliorũ
Charismatum Sanctorum, qui
Charitatis incendijs flagrauerũt
velut æmulator magnus reputa-
bitur. Ad pedes igitur vestræ
sanctitatis humillime prouolu-
tus, triplicemque thiaræ Pon-

ti-

tificiæ coronam venerabundus hoc pium ingenioli mei munuſculum ſubijcio, non ex fabuloſis Parnaſsi bicipitis fontibus delibatum, nec in muſarum ludentiũ tripudio decantatum; ſed de perennibus Golgothici montis promptuarijs propinatum, nec non de veritatum ſolidiorum fluentis ſcaturiens, non in Apollinis fabuloſi præſentia, ſed coram infallibili veritatum inelu-ctabilium oraculo concinnatum.

Beatitudinis Veſtræ

Humillimus & obſequentiſsimus orator & Filius.

Fr. Iacobus Ladore minimus.

Reuerendissimi Patris Generalis Minimorum licentia.

Nos Fr. Franciscus Nauarro Lector Iubilatus, in supremo sanctæ Inquisitionis Hispaniarum Senatu qualifi-cator, nec non totius Ordinis Minimorum humilis Corrector Generalis Dilecto nobis in Christo Reuerendo admodum Patri Iacobo Ladore Prouinciæ nostræ Turonensis Exprouinciali, & ad præsens eiusdem ordinis Zeloso, seu Procuratori Generali optime merito.

POstulatam à nobis typis mandandi librum sacræ pöeseos à te concinnatum cui titulus est Horatij Christiani tripartitus pro Canonizatione B. Francisci Salesii Geneuensis Episcopi Triumphus licentiam eo libentius tibi præfato Patri concedimus (modo seruentur ea, quæ de iure & consuetudine seruanda sunt) quo speramus istud inusitatum scribendi, & omnia pene fidei nostræ dogmata explicandi, & applicandi genus Litteratis omnibus delectabile futurum, nec non Canonizationis B.Francisci Salesij triumphis ornamentum singulare allaturum, & in fidem &c. Datum in nostro Minimorum Conuentu Sancti Andreæ de Frattis hac die 13. mensis Iunii Anno reparatæ salutis 1662.

Fr.Franciscus Nauarro
Corrector Generalis.

Locus Sigilli
✠

De Mandato Reuerendiss.P.N.Generalis
Fr.Petrus de Cosentia
a Secretario.

Approbatio Theologorum Ordinis.

NOs infra scripti Ordinis *Minimorum Sancti Francisci de Paula* sacræ Theologiæ professores fidem facimus Librum (cui titulus) est Horatius Christianus) à *Reuerendo* Admodum Patre Iacobo Ladore eiusdem Instituti Procuratore Generali meritissimo elaboratum, cum magna animi attentione perlustrasse, & non solum in eo nihil Fidei Orthodoxæ aduersum aut bonis moribus dissentaneum reperimus, sed è contra profundissima eiusdem Fidei mysteria clarè ac dilucidè cum elegantissimo carmine Lyrico explicantem, nec non subtilissimis doctrinæ *Patrum* Ecclesiæ valdè consonis conceptibus refertum maximum pietatem redolere agnouimus; Itaut nihil vltra in eo scribendi genere desiderari posse existimemus. Quare illum vt luce dignissimum typis mandandum esse censemus. In quorum fidem hic subscripsimus. Romæ in Conuentu sanctissimæ Trinitatis monris Pincii die 25. Iulii 1662.

Fr. Albertus Vidal Sacræ Theologiæ Professor.
Fr. Michael Bruneau Sacræ Theologiæ Professor.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiss. Patri Sacri Palatij Apost. Magistro.

O.Ep.Patracen.Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Ordinis Præd. Sacri Apost. Palatij Mag.

PRIMVS FIDEI TRIVMPHVS

BEATI FRANCISCI SALESII

EX FIDE VIVENTIS

ALEXANDER PAPA VII.

B. FRANCISCVM SALESIVM

Beatificando Immortalitatis sibi Lauream præparat.

ODE I.

Proëmialis tricolos tetrastrophos.

PRISCI triumphos temporis efferat
Non incruento puluere sordidos
Antiqua Musarum corona,
Cum Macedûm mouet arma Princeps.
Romana plaudat gloria Cæsari,
Victumque diris voueat æmulum *Pompeium scilicet.*
Insana plebs, summo Senatu
Pharsalijs pereunte Campis.

Fœliciori nos beat aëre;
Vitæ supremus arbiter, & necis
Victrice te donans Thiara;
Victor enim domitu que viuit.

Stella cunctos montiū S. Malach.

Non indecorè fatidicum tibi
Illuminandis mentibus excubans
Sydus, supremas auguratur
Clauigeri Genialis aras.

Fundata quippe in montibus arduis
Desæuientes sustinet impetus
Romana ALEXANDRO sedente
Arx, stygijs agitata turmis.

Pugnantis hæc sunt indita prœmia;
Virtusque trinam sustinet infulam;
Sed quarta fœlicem corona
Te faciet SALIVM beante.

Omnes procellas inclyta quam regis
Nauis Theandri te duce dissipat,
Dum prima FRANCISCO parari
Sacra iubes pietate tanta.

Sic in trophæo tuta SALESII
Fœlicitatis prœmia comparas,
Nectensque FRANCISCO coronas
In proprijs meritis laboras.

Beatificationis ritus ab Episcopo Ebroicensi celebratus ALEXANDRO PAPA VII. iubente.

ODE II.

Proëmialis tricolos tetrastrophos.

INuicta quondam non superabilem
Ductore Brenno Roma ferociam
Experta Gallorum timebat
Sacrilegum tuitura fanum.
Nunc fœderatis Gallia copijs
Astricta sacris ritibus, & Dei
Imbuta præceptis, Thiaram
Pontificum validè tuetur.
Iactata Petri Cymba frequentius
Lusit procellas milite francico
Adiuta, firmando quietam
In solida statione puppim.
Hinc omnis ætas, sexus, & Ordines
Submissionis se sua tesseram,
Et pignus ostendunt supremo
Christiadum celeres parenti.

Clerus Gallicanus summe affectus Romano Pötifici.

Ast inter omnes Francica Flaminum
Adicta sacris, inuiolabili
Se turba submittens Thiaræ
Acta fide, rutilans coruscat.
Seu bella monstris inferat hæresum:
Seu sacra fundat dogmata, Præsulum
Inuicta præbebit caterua
Auxilium pereunte Mundo.
Hinc dum parantur sacra SALESIO
Priuata, clarum Gallia Flaminem
Virtute, Doctrina decorum,
Pontificis pedibus subegit.
Instante summis Principe Francico
Henricus aris peruigil aduolat,
Primumque Romani fauentes
Clauigeri recipit loquelas.
Festiua mentis gaudia suscipit,
Dum prima soluit sacra SALESIO;
Astante Romano Senatu.
Et celebri radiante Pompa.
Extructa Petro fabrica personat,
Sacrisque plaudunt vndique Canticis
Sic cuncta, quin credas cohortem
Angelicam cecidisse terris.

Ornatus fabrica S. Petri in Beatificatione B. Francisci Salesij.

Texto refulgent pallia serico
Affixa muris, Ara nitentior
Ornata depictam ferebat
Effigiem similem Beato.

De-

Deuotionis feruor inebrians
Sic infulati Præſulis intima
Peruadit, vt miſſas ouanti
Francigenum celebrarit Aris.
In Ciuitatis ſeu meditullio
Accedat Ædes ad Lodoicias,
Vt ſacra ſuccendat Sabæis
Thura focis, Arabumque fumos.
In Colle ſeu queis celſior eminet
Addicta Gallis Pincia Trinitas,
Quos ſtricta vis voti coërcet
Piſciculis ſolidare vitam.
Sacriſque ibidem bis ſua pulpitis
Effata miro fuderit Ordine,
Sermone facundo rependens
Sic celebres SALIO Triumphos.

Pro Canonizatione B. FRANCISCI SALESII Votum

ODE III.

Proëmialis tricolos tetraſtrophos.

QVam cœca victis Roma rebellibus
Dũ ſacra Monſtris Thura rependeret,
Templiſque Diuorum litaret,
Sacrilegos homines beando.

Vanitas sacrorum antiquorum.

Mactetur Aris victima Dœmonum?
Et templa natent plena cruoribus,
Cultroque districto prophani
Pontifices iugulent Iuuencos.
Ornet triumphis fortia Cæsarum
Aduersus hostes prælia, sed Deos
Plaudente decretis senatu
Non facient vitijs scatentes.
Fœliciori sorte SALESIVS
Gaudet beatis iunctus honoribus,
Dictante sacrato senatu,
Mox solitis venerandus Aris.

Miracula B.Franc. Sales.

Portenta clarum posthuma prædicant,
Et membra vitæ mortua spiritum,
Cernuntur afflictis habere,
In tumulo populis loquentem.
Incœpta fausto perficit Alite
Qui summus Aris præsidet inclytis,
Totumque mox Orbem beabit.
Pontificis vigilantis ardor.
Deuota Christo pectora fallere
Fallique tanto in munere nescia,
Instante decernet corona
Franciadum Salio triumphos.

Acclamatio populorum in Canoniz. B.Franc futura.

Plaudet sacratis Gallia pulpitis,
Annesianum totus & oppidum,
Frendente crudeli Geneua,
Allobrogum populus replebit.

Ca-

Castoque proles innuba, quam Dei
Sacrauit Aris gaudia Præsuli
Infanda sub Claustris parabit,
Ex modulis reboante Cælo.
O Summe Pastor Christiadum Gregis,
Sperata nostro gaudia sæculo
Non differantur, sed iubente
Te subito Salius triumphet.

Ad laudem
B. FRANCISCI SALESII
Hymnus I.

IGneos cælo quatuor rotarum
Spiritus vitæ vegetauit axes,
Terra FRANCISCOS totidem iugales
Nectit amori.
Iunxerat vates Aquilam Leoni,
Frontis humanæ vitulum sodalem,
Præsulis iuncti renouat quaternos
Vita triumphos.
Inter accensos Babilonis ignes
Terruit Regem similis tonantis
Filio, trinos refouens hebræos
Imbre fauente.

Præ-

Præſul hic noſter ſimilem peregit
Virginis nato ſine labe vitam;
Nec ſibi vixit, ſibi nec beato
Fine quieuit.
Pauperi ſacras epulas miniſtrat,
Mortuis vitæ reparatur aura,
Languidos firmat, miſerosque lactat
Sæpe rogatus.
Gratias trino populi rependant,
Plauſibus tellus reboare tentet,
Conſonum ſacri moduli tributum
Sydera ſoluant.

Hymnus II.

FRANCISCVS varijs peruigil excubat
Curis ſollicitus, prælia cum truci
Commiſſurus hydra, ſic iuuat hæreſis
Appellare tetrum caput.
Quantumuis ſtygijs frendeat, æſtuet
Huc adducta locis Præſulis impetum
Non portare valens, colla ſagacibus
Submittens monitis iacet.
Non ferro domitis imperat hoſtibus,
Sed verbo penetrans corda medullitus
Transfigit proprio lumine, transfugis
Viuentem tribuens necem.

Scriptis bella mouens non reparabilem
Vim monstris adimit, vulnere saucius
Fœlici moritur viuat vt ætheri,
Qui vitam dederat stygi.
Quis ductoris opem non petat inclyti?
Importuna caro dum fremit vndique,
Dum mundus petulans Dæmonis artibus
Grassatur ferit, & vorat.
Ciues Ætherei plaudite, Præsulis
Æternam Capiti nectite lauream,
Victoris modulis Aligerum cohors
Infandum celebret decus.

Hymnus III.

TEmporis prisci redeuntis annos
Qui cupit Sæclis remeasse nostris,
Mira FRANCISCI SALII patrata
Mente reuoluat.
Cordis accensi speculetur ignes,
Spectet ardentes animi fauillas,
Sentiet Mosis rediuiua spinis
Busta renasci.
Pastor hic sacri cupiens ouilis
Pabulo verbi recreare turmas,
Senserat dulces resilire flammas
Pectoris imo.

 Cal-

Calceis mundi vegetus ſolutis,
Ad ſacræ currit ſtationis ignem,
Nil rubi ſpinas veritus rigentes.
Ardor amoris
Cœlicus feruor liquefacta cordis
Intima accenſi lacrymas reſoluit,
Inde tam crebris repetit loquelis.
Viuat Ieſus.
Alites ſacri modulis perennes
Ignis excelſi celebrate flammas,
Quas amor Chriſti vegetat, canentes.
Viuat Ieſus.

Primus Fidei Triumphus Theandricus ex Myſteriorum diuinorum contemplatione Viuat Ieſus in ſinu Patris & B. FRANCISCO SALESIO Trinitatis ſanctiſsimæ Myſterium contemplanti & ex fide viuenti Globus igneus Appareat.

ODE IV.

Tricolos tetraſtrophos.

QVi fulgurantis cunctipotentiæ
Audaciori mentis acumine
Scrutatur arcanos receſſus,
Fulmineos ſibi nectit ictus.

Auerte oculos tuos a me quia ipsi me auolare fecebunt Cant. 6.

Quod curiosa luce cacumina
Perfectionum sponsa reuoluerit,
Armauit iratos tonantis
In se animos solitos fauere.
Qui se videri non patitur, suæ
Diuinitatis mandat imagines
Formosiores intueri,
Ne pereant temere videntes.
Mens de creatis fertur ad vltimæ
Sublimitatis sic penetralia,

Cognoscitur deus ex creatis vt vnus:

Vt trinus impressa latentes
Effigie, manifestet ignes.
Quamuis figuras respuat, omnibus
A se productis sic patet Orbibus;
Vt nullus excuset negatam
Notitiam nisi mente captus.
Fœcunditatem terrea Machina
Explorat, vnde circulus humidus
Effusionis dat bonorum
Non dubiæ monumenta clara.
Iræ tonantis dat globus aëris,
Ex concitatis signa furoribus,
Immensitatis vel nitorem
Fert superum spatiosus Orbis.
Hæc vnitatis tessera multiplex
Ad Trinitatis notitiam nihil
Conducit, & sola notatur
In celeri leuitate flammæ.

Dum

Dum Trinitati penſa refunderet
Attentiori mente SALESIVS,
  Submiſsionis de tributo
  Igniuomus caput ambit Orbis.
Lux, feruor, ignis, fœderis hæc tria
Voluuntur vno iuncta ligamine,
  Emiſsiones quo ſupernas
  Mens hominis penetrare poſsit.
Fornacis inſtar bullit & æſtuat
Æternus alti conditor Ætheris,
  Pulchrumque cognoſcens nitorem
  Progeniē parit almus vnam.
Delirat ortam qui cerebro Iouis
Credit Mineruam, vulnere lucido
  Cudente Vulcano puellam,
  Quam veteres coluere Diuam.
Sed qui paternæ mentis amabilem
Productionem quærit in intima
  Diuinitatis notione,
  Nil melius reperire tentat.
De luce pulchra lux oritur nitens,
De fonte riuus ducit Originem,
  Naſcenſque promanat coæua
  Perpetui ſoboles Parentis.
Antiquitatis nulla prioritas,
Nec dignitatis poſterioritas,
  Non ante producens ſeneſcit,
  Nec genitus junior parente.

Cognoſcitur quodammodo & trinus per globum igneum.

Productio filii intellectualis.

Aequalitas in tribus perſonis Sanctiſs. Trinit.

Eſ-

Effusionis summa necessitas
Compellit almum sic dare filium,
Vt notionis non coactæ
Progenies fluat à Parente.

Productio Spiritus S. per amoris impetum.

De luce tantus feruor inæstuat
Dilectionis, tardet vt Impetum
Vis nulla, quin torrens amoris
Exiliat mutui refusus.

Si mens Parentis format imaginis
Expressionem, quod fuit agnitum
Hoc debet amplecti voluntas
Flammigeris animata tædis

Hinc dulciori Flamine Spiritus
Effusus vno principio nitet,
Strictusque personis duabus
Interius fluit ipse nexus.

Accensa fornax dat sterilem sinu
Spirantis almo, non perimit tamen;
Ast inter ardores tuetur
Principium vegetantis auræ.

Gaudia Filii in sinu Patris.

Splendore viuit filius optimo,
Cum candor adsit perpetuæ facis:
Nullumque conclusus paterno
Fastidium gremio reportat.

Solitudo pax & sanctitas in sinu Patris nitent.

Si solitudo complacet, in sinu
Immensa claro fulget amœnitas,
Solusque de solo nitorem
Progenitus capit inde pulchrum.

Si

Si pacis arctæ fœdera diligit,
Diuisionis nulla malignitas
Infestat æterni Parentis
Pacificum sine labe pectus
Si sanctitatis gaudet amabili
Splendore, sancto quid Patre sanctius?
Impuritatis vel remota
De gremio Genitoris vmbra
Non indecoro schemate Numinis
In se latentis magnificentia,
Se prodit igniti patentem
Sub globuli tereti figura.
Vt promptiori mente SALESIVS
Excelsa spectet Numinis abdita,
Dicatque millenis Iesus
Viuat eo genitore sæclis.

B.Franc. Salesius imagine sanctiss. Trinit. honoratur.

Viuat Iesus in vtero B. Virginis Incarnatus, & primum deuotionis tyrocinium Incipiat in eo

SALESIVS

ODE V.

Dicolos tetrastrophos.

Pro Incarnatione Verbi consilium æternum.

DVm præuisa lues criminis optimam
Infectura Dei rursus imaginem
Iam grassata polo, per paradisias
Vellet delicias rapi.
Opportuna malis ferre remedia
Saluatoris opem sollicitam tenent,
Est certamen amor Numinis in sinu
Dat cum Iustitia Dei.
Hæc armata manu vindice fulmina
Nectebat, scelerum celsa cacumina
Quassatura reis omnibus, horridas
Inferni minitans cruces.

Ast

Aſt diuinus amor criminis hoſtiam
Compaſsiua gerens viſcera protulit,
Vnam de gremio vindicis arbitri,
Vt mactata luat ſcelus.

Diuinus Amor pugnat cum iuſtitia Dei.

Sed depugnat amor rurſus, amabilem
Hinc perſona Patris vellet imaginem
Reſtaurare ſuis ſumptibus, & ſator
In Mundo fieri caro.

Perſonalis amor muneris hoc ſibi
In virtute ſui flaminis accipi
Concedatur, ait, cum pia Charitas
Hæc obiecta ſibi petat.

Amoroſa trium perſonarum pro Incarnatione pugna.

Verum perpetui progenies Patris
Inclinata viris carnis ad infimum
Pertranſire volens ſollicitus lutum
Finem conſilio dedit.

Cum ſit forma Patris ſolus imaginis
Inſtaurare gradum debuit arduum,
Aſſumpto ſpolio corporis, in ſinu
Materno veluti reus.

Verbi diuini pro Incarnatione rationes præualent.

In trino medium Numine conuenit
Saluatoris opus, vel medio ſolo
Exercere pium, ſic reparabilis
Eſt factura Dei rea.

Imago Patris reſtaurare debet fœdatas imagines.

Mediator medius in Trinit.

Cum primæua hominis crimina filij
Ornamenta velint ad nihilum dari,
Et ſic degeneri germine Dæmonem
Inſtaurare patrem ſibi.

Filius naturalis adoptiuos.

Hæc curare decet vulnera filium,
Et primogenitum clauſa minoribus
Reſtaurare ſuis ſydera Fratribus,
Antiqui ſceleris reis.

Hic decreta fuit fabrica corporis
Humani genito, qui per hypoſtaſim
Sic diuina liget Virginis in ſinu,
Vt verbum caro ſordeat.

Danielis hebdomades cõpleta. ſceptrum ablatum à Iuda.

Expectata diem fuderat hebdomas,
Quam ſolers Daniel dixerat vltimam.
Sceptri Iudaici gloria fluxerat,
Qua verbum fuit inſitum.

Matrem diſpoſuit Flaminis impetus,
Vt non læſa foret Virginitas, licet
Sit coniuncta pio per Matrimonium
Pluſquam Parthenicum viro.

Tunc ſubmiſſa, fidem colloquio dedit
Inſtructa Angelico, nacta potentiam
Excelſi ſolij fortiter inſtitit,
Ancillam ſe humilem Dei.

Incarnationis Verbi executio.

Puro materiem ſanguine fabricat,
Incarnatque Deum ſpiritus haud Pater,
Immenſoque ligat fœdere debili
Sic cum Carne Deum Optimum.

Dum coniuncta caro proxima Numini,
Fulgebant mutuis ſortibus omnia;
Sic vt terra queat dicere ſum Deus,
Verbum ſum pariter caro.

Sed

Sed natura pij Numinis in virum
Non conuersa fuit, corporis & Dei
Non confusa potest mixtio tangere
Sacro sancta ligamina.
Verum assumpta caro perdit hypostasin,
Quam natura dabat terrea, iunctio
Personalis opem tradit, & omnia
Ornamenta Dei dedit.

Modus incarnationis per assumptionem naturæ.

Qualis iuncta globo flamma SALESII
Dum scrutatur opus voluitur in caput
Lucem communicans conspicuam Poli,
Hanc massam faciens leuem.

Comparatio S. Basilij ignis ferrum penetrantis.

Sic humana nitet sarcina corporis,
Diuinusque lutum sic penetrat rogus,
Vt feruor saliens occupet omnia
Membrorum penetralia.
Hoc feruore faces cordibus omnium
Ignescunt, & amor Numinis inclyti
Incarnatus opem non miseris negat,
Implorare velint modo.
Talis cura fuit syderis arbitri
Inuoluisse suam carne propaginem,
Vt carnis putridis fœda vaporibus
Corruptæ gladio secet.
Non ex Angelicis ille phalangibus
Incarnari aliquem iussit, & arduo
Deturbare loco tentat, vt omnium
Pressus sub pedibus gemat.

 Ve-

Excessus amoris Diuini in missione filij.

Verum progeniem protulit vnicam,
In qua exhausta fuit summa potentiæ
Fœcundæ, soboles quo periens cruci
De fœlice miser foret:
Si non diligeret progenitum Pater
Istud grande malum cum patientia
Ferretur, sed amor, delitium & Patris
De cœlo ad nihilum ruit.
Vt comparticipes nos faciat suæ
Naturæ, vel opes distribuat poli;
Si nos participes comperiat crucis
Hoc est consilium Dei.

B. Francisco Salesio typus Incarnationis apparet.

Non mirere globus si cadit igneus
Dum ructaret amans ista SALESIVS,
Est expressus amor semper in igneis
Vt per legitimum typum.

Viuat Iesus Natus in stabulo Betlehemico, & eum cum Pastoribus sæpe visitet

SALESIVS

Pastoris officio functurus.

ODE VI.

Dicolos tetrastrophos.

VIrginis Matris grauido Theander
Fluxerat menses vtero nouenos,
Pace cum firma populos recenset
Cæsaris Ordo.

Edicto Cæsaris Augusti obedit Ioseph cum Virgine prægnante.

Aduolat Christi genitor putatus
Betleem, nomen subito daturus
Regibus clarum proauis, sequente
Coniuge sancta.
Quærit hinc tectum positura Mater
Pignus excelsi genitum Tonantis.
Aduenæ cunctis domibus repulsi
Eijciuntur:

Coniuges ſacri media coacti
Nocte fætentis ſtabuli receſſum
Ingredi, Mater poſitura fætum
Inde reſedit.
Publici fontis Genitrix gerebat
Alueó ventris latices nitentes,
Hunc ſibi fontem retinere nollens
Fudit ab aluo.
Publici ſolis radios tenebat
Ventre concluſos, tenebris repulſis
Prodijt natus Genitricis almæ
Fœtus amoris.

Effunditur Theäder ex Virginis viſceribus.

Marmoris ſecti lapides coruſcant
In domo ſæui Solymæ Tyranni;
Aſt poli Rector recreare geſtit
Vilia recta.
Aureo Monſtrum folio reſedit,
Chriſtus aſt Princeps veniens Olympo
Fletibus primis ſtipulæ ſupinus
Stramina ſtagnat.

Paupertas Chriſti naſcentis.

Principes ſæcli varij lapilli
Pallia affigunt peritura muris;
Sed lapis Chriſtus ſuperat nitorem
Fulgidus omnem.
Cæſarum faſtis ſeries notata
Arguit Reges hominum perire,
Et quod alternis vicibus poteſtas
Subditur annis.

Aſt

Aſt puer celſis veniens ab Aſtris
Naſcitur clarus ſolio perenni,
Et licet cunis lacrymetur infans
Eſt Deus Orbis.

Differunt a principum mundi & Ieſu Chriſti.

Principum ſæcli rutilam coronam
Subditi firmant, populi tuentur
Gloriam Regni pariunt Miniſtri
Iuſſa ferentes.

Principis cœli ſolidat ſeipſam
Dignitas nullis comitata ſeruis,
Gaudijs ſolus fruitur beatis
Abſque Miniſtris.

Cæſarem viles homines ſequuntur,
Et luti maſſæ venerans ſuperbæ,
Maſſa ſublimes animata cœni
Reddit honores.

Gaudium Angelorum In natiuitate Chriſti.

Angeli ſedes ſuperas relinquunt
Vt queant circumuolitare cunas
Regis excelſi gelidos fouentes
Flatibus artus.

Non lues fœtens ſtabuli patentis
Alites ſacros vetat obſequenti
Thure, Cœlorum Dominum vereri
Poplite flexo.

Canticis totus reboauit Æther,
Dulcibus tellus modulis repletur,
Audijt Paſtor vigilans tributum
Ore ſolutum.

Gloriam ſummo ſuperûm rependunt
Principi, terris ſolidam quietem
Nunciant, celſas modo ſe voluntas
Vertat ad arces.

Paſtoribus Annunciant Angeli Chriſti natiuitatem.

Ite Paſtores pecudum relictis
Pabulis, dicunt, ſtabulo rigenti
In domo panis gemit almus infans
Virgine natus.

Paſtor hic Cœli grege derelicto
Perditos naſcens meditatur agnos
Quærere, in caulam propria reductos
Paſcere Carne.

Angelo factis monitis iubenti
Obſecuturi, celeres citatis
Paſſibus currunt ſtabuli ad patentis
Antra feruntur.

Fulgidam proni ſobolem Tonantis
Sub throno fæni poſitam, profundo
Cordis effuſi cumulant honorum
Inde tributo.

Cur Chriſtus naſcatur in ſtabulo.

Fœtida quærit ſtatione brutos,
Perdito nam ſic rationis vſu
Induunt formas homines ferinas
Criminis auſu.

Hinc ſupernorum Dominus ſecundum
Prouidet primæ rationis ortum,
Belluis ex quo ſimiles reſurgunt
Mente reducta.

Pa-

Paſtor hinc diræ celebris Geneuæ
Hæreſis Monſtrum domiturus omne,
Sæpius cunas pueri reuiſit
Mente reuoluens.
In ſinu Matris memorans puellum
Vberis ſacri liquidos prementem
Riuulos, cæcis populis ſalutis
Pabula ſpargit.
Angeli pacis modulis frequenter
Priſca Paſtorum vigilantiorum
Acta ſectatus, ſtipulæ ſedentis
Viſitat antra.
Naſcitur Matris genitus benigno
Obſtetricantis fidei fauore
Cordis arcano, vegetuſque dicit
Viuat Ieſus.

Paſtoris vigilantiam diſcit. B. Franc. Saleſi in Bethleem.

Viuat Ieſus Circunciſus & vt oleum effuſum manſuetudinem Generet SALESIO

Ode VIII. Tricolos tetraſtrophos.

QVi vilitati magnificentiam
Vult ſtrictiori fœdere iungere,
Cognoſcat effuſi cruoris
Primitias ſobolis gementis.

Virgo Ieſum circumcidens humiliat.

Deſæuientis legis atrocitas
Sic Virginales in puerum manus
Compellit inuitæ Parentis,
Sanguineo vt madeant liquore,

Verum Paterna ſollicitudine
Ioſeph putatus Parthenici Pater
Infantis, exaltans cruentam
Progeniem vocat hanc Ieſum

Ioſeph nomen Ieſu Chriſto imponens eum exaltat.

Solemnitatis fœdera duplicis
Iunguntur arcto ſtricta ligamine,
Dum vulnus infamat puellum,
Altiſonum terit aſtra nomen.

Cum petra sæuos figit aculeos
Carnisque scindit membra Theandricæ,
Peccata despumant venenum,
Inde reus genitus putatur.
Crudeliori marte ferociam
Expertus omnem filius innocens,
Vt seruus infamis notatur
Mancipium scelerum futurus.
Portenta Christi dextera Criminum
Nusquam valebit cudere, cum Dei
Immensa Maiestas repellat
Omne malum vitij pudendi.
Si carne crimen contrahit impia
Diuinitatis perdit Hypostasin,
Et separato sic Theander
Supposito perit innocente.
Rex sæculorum subdita debuit
Sic passionum colla gubernio
Frænare, quin nullus rebellis
Prodierit minimus vel actus.
Summus sacerdos factus, & hostia
Contagiosæ carnis inhospita,
Fœdare non ausa est supremi
Pontificis meritam thiaram.
Saluator omnem criminibus viam
Præcludit atris, vincula soluere
Si vinculatus quis valebit?
Rumpere vel scelerum cathenas?

Christus impeccabilis, & rationes.

Quia homo deus non potest peccare.

Vt Rex hominum.

Vt summus Sacerdos.

Vt Saluator.

Vt criminosus cæditur attamen
Præputiatæ carnis in artubus,
Signoque percussus notatur
Perpetuo scelerum patenter.
Hæc vilitatis Tessera sæculis
Impressa carni posterioribus,
Se tradet æternûm videndam
Hac humili macula retenta.

Humiliationis summa tessera est æterna in Christo Domino.

Effossa gestat vulnera saucius
In glorioso corpore, sed reos
Absoluit his signis notatus,
Quæ memorant celebres triumphos.
Ast facta cæsi corporis innuunt,
Octo dierum signa puellulum
Mucrone circumcisionis
Esse reum sceleris patrati.
Verum Theandri sic nihilo datam
Sublimitatem conspiciens Pater
Æternus, extollit cadentem
Præcipiti sobolem ruina.
Insigniori nomine filium
Illustrat alto è vertice syderum;
Vt nulla commissi subesse
Suspicio sceleris valeret.
Iesum vocari præcipit omnibus
Illuminatum dotibus Ætheris,
Mercedis id nato reseruans
Pro fluuio meriti cruoris.

Exaltatus Christus per nomen Iesu,

Ex-

Excelſioris ſumma potentiæ,
Et dignitatum celſa cacumina
Tranſcendit hoc nomen Theandro
Impoſitum monitis Paternis.
Archangelorum Claſſica perſonant
Hoc reſtitutis nomine ſedibus,
Quas fecit enormis vacantes
Luciferi ſatanæque pugna.
Feruentioris militiæ Poli
Submiſſa prono turba ſeraphicæ
Vultu, cohortis ſupplicanti
Corde cadit venerata Ieſum.

Seraphinu ſublimitatem tranſcēdit.

Prædeſtinatis omnibus è ſolo,
Iſtud trophæum nominis inclyti
Effundit influxus benignos,
Æthereos reſerans receſſus.
Immo Angelorum turma rebellium
Eununciato nomine Cœlico
Bacchatur, atque imis tremiſcens
In furias agitur lacunis.
Hinc tam frequenti voce SALESIVS
Ieſum ciebat ſubſidio ſibi,
Sic certus in cunctis futurum
Vt ſatanam ſolitus fugarit.
Orationi dum vacat, Ebrium
Influxus huius nominis efficit,
Et cella vinorum patebat
Auxilium ſubitum petenti.

Nomen Ieſu potentiſſimum B. Franciſci Sales. in omnibus ſubſidium.

De-

Deuotionem quiſquis amabilem
Sectatur, alti nominis imprimat
Sublimitatem, ſic perenni
Cœlicolum potietur aura.

Viuat Ieſus Gentibus manifeſtatus Et in ſtabulo Betleemico tanquam in humilitatis ſchola Propriam vilitatem manifeſtet SALESIVS

Ode VII. Dicolos tetraſtrophos.

OCcultata diu gemma receſſibus
Æternis patuit Virginis in ſinu,
Theſaurus latitans prodijt, & diem
Lux accenſa dedit ſuum.
Sydus fatidicum ſyderis arbitrum
Erupiſſe ſinu Virginis indicat,
Quęrendumque tribus Regibus admonet,
Sit quocumque loco puer.

Fax

Fax incensa Deum prædicat infimum
Assumpsisse lutum corporis, vt suas
Concedat miseris diuitias viris,
Dum sit factus homo miser.
E Cœlo moniti sydere Principes
Inflammante iecur, quærere curiam
Regis constituunt nuper in infimo
Telluris gremio sati.
Exquisita parant munera, sarcinas
Imponunt ad iter, magnificentiam
Regalem sociat turba Camelicæ
Vecturæ phaleris nitens.
Lucescente suis verticibus face
Optatum properant cernere Principem,
Submissique volunt obsequijs sua,
Et sese puero dare.
Expectata dies adsuit, & face
Disparente petunt tecta Palatij
Regalis Solymæ marmore plurimo
Ornata, vt caput imperi.
Ast optata suo fine carentia
Conturbant Solymam, curia Regia
Hinc commota fremit, quæritur & locus
Nascentis Ducis Israël.
Inconcussa canunt ore prophetico
Argumenta sacri codicis, oppido
Betlemo sobolem Parthenico piam
Fundendam gremio dari.

Properant Magi ad quærendum nouum Regem.

Hinc

Hinc Rector Solymæ ſceptra tyrannice
Vſurpata timens è manibus trahi,
Reges ſollicitos corde vaferrimo
Vt quærant puerum monet.
Herodis verſutia. Spondet ſe ſolium, ſceptra, potentiam,
Et ſubmiſſa fore huic ſyderis arbitro
Quæ ſubiecta ſuis nutibus Ordinem
Suſcepere ſuum diu.
Hoc velo retegens cordis atrociam
Id monſtrum inſidias præparat arbitro
Cœlorum pueri vult iugulum ſati,
Et mucrone latus peti.
His dictis iterum lumine ſyderis
Demonſtrante viam, purpureos duces
Reddens attonitos, greſſibus obuijs
Incæptum peragunt iter.
Opportuna Magis mœnia Ciuitas
Expandebat, iter ſtella peregerat
Signatura locum, quo Deus Ætheris
Effuſus ſtabulo iacet.
Hinc immota domus ſtella cacumini
Diffuſis radijs ſubſtitit, & ſuis
Inflammat facibus pectora Principum;
Vt Chriſto obſequium ferant;
Magi ingrediuntur ſtabulum Betlemicum. Ingreſſi celeres antra patentia
Fœtentis ſtabuli, nidor aromate
Cœleſti, & varijs fumat odoribus,
Quæ vincunt Arabum focos.
Hinc

Hinc thesaurus adest diuitijs Poli
Cunctis conspicuus, vel pia Trinitas
His expressa tribus, Virgine scilicet
Iosepho, & puero micat.
Hic Regina Poli pulchrior omnibus
Fulget syderibus, prole beatior
In tellure gerit quod Pater Ætheri
Portans effigiem Patris.
Sponsus parthenicus flaminis impetum
In flamma sterili gnauiter exprimit,
Fœlicique dei sorte vicarius
Sponsam sollicite fouet.
Affixus stipulæ sole vi[illegible]tior
Effundit radios Virginis inclyta
Maternæ soboles, quem genitum Pater
Agnoscens gerit in sinu.
Sic mutata Poli sydera terreis,
Et terrena vices sic mutuas agunt,
Vt Reges posito se diademate
Submissi, obtulerint sua.
Effusi potius Cordis aromata
Exhalat veniens primus in Ordine.
Quamuis sacra Deo thura rependerit
Fumantesque Arabum focos.
Succedente alio tradit amoribus
Argumenta suis, muneris aurei
Pondus magnificum, Regia dignitas
Sic nato in puero nitet.

Iesus Maria & Ioseph excipiunt Reges.

Effundunt munera:

Aſt mortalis homo naſcitur, altero
Succumbente humili poplite dum ſua
Mirrhati reſerat pocula muneris,
Solis funeribus data.
Sic profuſa ferunt munera Principes.
Acceptata placent, plura refundere
His Chriſtus ſtatuit fœnore centuplo;
Dans ſeſe in pretium ſuis.
Hac diſcant humiles principium ſchola
Offere obſequij, non ſtabulum moras
Non præſepe ferat, vilia diligit
Submiſſoſque homines Deus.

Stabuli academiam frequentat Saleſius.

Hanc Franciſcus opem ſæpe SALESIVS,
Vt vilis fieret quæſijt, & Dei
Infantis ſolitam vult licitam ſibi
Hanc notam ſtabuli ſcholam
Hæc terrena pium Pontificem docent
Subiectis ſuperos obſequijs coli,
Æqualemq; ſequi, ſic Inferioribus
Submitti pretium fuit.

Viuat Iesus inter manus Iosephi Sponsi B. Virginis Portatus in Aegyptum & inde laborum toleran-tiam discat

SALESIVS

Ode VIII. Dicolos tetrastrophos.

EFferant prisci meritum Iacobi
Somnijs claros venerentur annos,
Angeli pugnas stupeant fauentes
Sæcula Prima.
Virginis sponsus superat paternos
Sydere effusos proaui fauores,
Somnio iussus sobolem tueri
Virginis Almæ.
Viderat schalam proauus patentem
E sinu terræ superûm cacumen
Tangere, excelso capiente summam
Inde quietem.

Ioseph euangelicus excedit antiquum Iacob in somnijs.

Scaliger Cœli Pharios Penates
Ingredi iussus monitis Tonantis,
Et viam portat, gerit & paterni
Pignus amoris.
Angeli pugna proauus reuertit
Claudicans; Ioseph melior seraphin
Integris currit pedibus, vel omnem
Sustinet Orbem.

Superat antiquum Ioseph in ministerio.

Primus hoc nomen Patriarcha clarum
Qui tulit, terræ Phariæ famenti
Horreis plenis segetum salutem
Attulit omnem.
Isidis campos meliore pane
Prouidet sponsus meritus Mariæ,
Pabulum portans animæ famentis
Et sitientis.
Ille *Saluator* Pharius putatur;
Saluat hic Christum gerulum salutis,
Fusus id sanguinis tumulo Rachelis
Indicat apte.
Viderat Lunæ radios nitentes,
Vndecim stellas, iubar & diurnum
Priscus ad calces proprias cadentes
Se reuereri.
Vltimus Ioseph pietate primus,
Virginem iussis videt obsequentem;
Quæ potest pulchræ speciem decore
Vincere Lunæ.

Sub-

Subditum Solem mouet & retardat
Nutibus, verbo, manibus terendo
Angeli pacis pretiosa soluunt
Munera Laudum.
Terruit visus rubus & satorem
Legis antiquæ virides ferendo
Ignibus spinas; mouet hunc Rubeti
Visio grandis. *Mosi præponitur.*
Mystici Custos vigilans rubeti
Portat accensas vegetus fauillas,
Frigidis ignem populis daturus
Tactus amore.
Perdit Ægiptum baculo verendus
Corniger spissas tenebras creando;
Virginis sponsus reparans coruscum
Portat Iesum.
Hinc silent Christo simulacra muta
Dæmonem tectis stigijs ligante,
Imperans falsam cohibere linguam
Atque tacere.
Diuitem Moses populum retentis
Aureis vasis spoliat fugatus;
Ditat Ægiptum vigilans ferendo
Sponsus Iesum.
Mergitur durus Pharao sub vndis,
Et maris fluctus rubei tumentes
Sensit Ægiptum baculo furente
Mosis in vnda:

Præ-

Præparat Christo rubeas Herodis
Sanguinis fusi gladius lacunas,
Eripit Ioseph fugiens puellum
Regis ab ira.

Antecessit Dauidem generositate.

Inclytus Dauid Goliam triumpho
Vicit æterno proauus mariti
Virginis, vincis fugiens Herodem
Parthice Ioseph.

Excedit Ioannem Baptistam.

Præuius Christum digito Propheta
Monstrat, & puros latices veretur
Fundere in corpus geniti Tonantis
Virgine nati.

Audet ast Christi Genitor putatus
Brachijs Iesum, manibus leuare,
Sæpius fusis lacrhymis rigare
Oscula figens.

Apostolis præponitur.

Mysticum Corpus Domini Colonis
Subditur sacris, fidei Satores
Sponsa quos nouit, facit & rigantes
Christus adaugens.

Physicum corpus Domini & Theander
Subditus totus famulante dextra
Virginis sponso, & vegetus loquentis
Iussa capescit.

Paulo sublimior.

Expliçet rapto Paradisus omnes
Intimos Paulo superûm recessus,
Admouet linguæ digitum silenti
Inde recedens.

Te-

Tecta Iosephi Paradisus ambit,
Lætus & multos faciem per annos
Cernit excelsam superos beantem
Mersus amore.

Pectoris Christi gremio recumbens
Mœstus in cœna penetrat Ioannes
Fontis æterni subito meatus
Mente reclusos.

Ioanne Euangelista perspicacior.

In sinu Ioseph quoties puellus
Substitit casto, quoties vicissim
Filij sancto gremio resedit
Numine plenus?

Clauiger portas aperit polorum
Pascuis agnos recreans opimis
Dicitur Pastor, datur & ouilis
Summa potestas.

Petro Claui-gero potentior.

Petrus vt Cœli famulus creatur
Clauiger factus, Dominus potitur
Ianuis cœli Pater at putatus
Ipse Theandri.

Pascitur Pastor vigili labore,
Et suo venis vegetat cruorem
Pane, qui cunctis tribuit salutem
Fusus abunde.

Inde Franciscus vigilans saluti
Omnium nullos refugit labores,
Omnibus portat populis Iesum
Omnia factus.

In laboribus tolerantiam discit. Salesius. a Iosepho.

Vi-

Viuat Iesus Transfiguratus & in toleratis laboribus perseuerantiam discat

SALESIVS

Ode IX. tricolos tetrastrophos.

QVid Petre cordis non satiabiles
Dimensiones, delitio Poli
Stillante compleri fateris
In fragili statione montis?
Fulgente quamuis conspicuus face
Christus diurnum fulgeat vt Iubar,
Et vestis albescens niuescat
Non satiant superum capacem.
Petri deceptio in condendis tabernaculis.
Errore grandi falleris, arduo
Sub colle trinam constituens domum,
Æquale Patronum ac Ministros
Sic cupiens habitare tectum.
Hallucinaris nec pius Elias,
Nec legis arctæ conspicuus sator
Venere, quo celsi cacumen
Constituant habitare montis.
Di-

Dilectionis non meritæ pius
Excessus istud colloquium docet
Venisse, quò mortis propinquæ
Funereos celebrent dolores.
In glorioso Monte Vicarius
Non Ordinaris; dulcia pocula
Fœlicitatis non bibuntur
Golgothico nisi felle poto.
Nondum in patenti curriculo pedes
Ex ventilato puluere sordidos
Aptare concessum, & triumpho
Vis celebri radiare dextram?
In delicatas non veniunt manus
Excelsi cœli præmia, laureis
Cinguntur experti labores,
Militiam decet ante palmas.
Si fabricari vis tria tegmina,
A glorioso cur Patre separas
Inseparato vel ligatam
Progeniem iubar ante nexu?
Diuinitatem si sobolis cupis
Fixam teneri, quid Patris à sinu
Diuellis, vt monti reclusa
A reliquis spatijs recedat?
Immensitatis lædis inhospitam,
Dum contineri qui omnia continet
Contendis, vt solus benignam
Possideas faciem beatus?

Non delitia quærenda.

Non debet Christus separari a Patris tabernaculo.

Lumine publico debent omnes frui.

Vis Petre solus lumine publico
Illuminari? Fontis Originem,
Fluxusque tu solus perennes
Ferre cupis sitibundus omnes?
De Charitatis flamine non fluunt
Effata, quando lingua citatior
Testatur in Thabor Polorum
Esse bonum Dominum manere.
Si Claritatem semper imaginis
Summi Parentis cernere postulas?
Oraculorum quis fideles
Sentiet esse Dei loquelas?
Decreta Christo pœna seuerior,
Et membra duris sub cruciatibus
Aptata, non clara coruscam
Luce sinunt faciem videri.

In Cruce potius Christus conspiciendus quã super Thabor.

Consputa multis opprobrijs decus
Est perditura, & fixa rigentibus
Post hæc rubetis est corona
Ludibrium solymæ futura.
An nescis alti fulmina Numinis
Placanda solo sanguine Filij,
Qui fusus horrendum benignam
In pluuiam tonitru resoluet?
Oblata cum sit victima criminum
Fœlicitatis delitijs parum
Est abstinendum, cum seuero
Iudicio luit omne crimen.

Nun-

Nunquid poteſtas maxima clauium
In purpurata carne cruoribus
Fundatur? & Paſtor ſupremus
Paſcet oues proprio cruore?
Quis perſeueret finis ad vltimi
Conſumptionem, ſi caro filij
Non currat ad metam Lycæi
Propoſiti medio labore?
Conſtantiorum Laurea Martyrum
Marceſcet, omnis gloria præmij
Langueſcet, exemplum Theandri
Ni foueat morientis ipſum.
Quod ſi coruſcant ora nitentia,
Nil cum Prophetis teſtibus indicat
Præter labores, ſic cruentum
Ad cumulum properans malorum.
Cæpiſſe nil eſt, currere, proſequi
Eſt laude dignum: præmia conſequi
Completa, vel metam Lycæi
Expoſiti tetigiſſe totum eſt.
Dilectus hic eſt filius hinc Pater,
Hunc audiendum prædicat omnibus,
Vt perſeuerent in labore
Intrepidis animis recepto.
Teſtatur iſtud cum face ſpiritus
Lucente, legem conſtituens nouam
In monte ſplendenti, fideli
Impauidos cumulans corona.

Poteſtas clauiũ à Caluario monte non a Thabor.

Perſeuerantia a Cruce Christi petenda.

Mysteriosum Petre silentium
Stillante gutta, fluminis vberi
Præstaret, vt toto fruare
Profluuio Crucium, fauore.

Franciscus Salesius plus consulit crucem quam Thabor,

Francisce nullam syderis ardui
Vis ferre palmam, munera laureæ
Et nulla permittis virere,
Ni meritis crucibusque parta.
Lernæa plusquam Monstra rebellium
Caluiniani Dogmatis hæresi
Infecta, doctrinis domasti
Herculeos superans labores.

Vi-

Viuat Iesus pium in Eucharistia animarum edulium, & quærat SALESIVS vbi pascat, vbi cubet Sponsus in Meridie.

Ode X. Dicolos tetrastrophos.

QVam væsana fuit fabula temporis
Primæui, varios per metamorphosim
Dementasse viros, signa potentiæ
Hæc falsis referens Dijs.
Sed quid possit amor Conditor Ætheris
Nobis factus amor corporeus modum
Excedens aperit, panis operculo
Carnem viuificam tegens.
Nam cum vellet amor cœlicus ad suum
Se conferre Patrem post hyemem crucis,
Et Pastoris amor terreus à suis
Tolli nec modicum sinat.

Amoris triũphantis, & militantis pugna.

Con-

Conuenere duo, pacis & osculo
Inuenere modum quo Patris in sinu
Sit cœlestis amor, terreus & simul
Semper pascat oues suas.

Vtriusque amoris pactum.

Dum consumpta fuit victima Paschatis,
Christus magnifico funere condidit
Legis Mosaicæ stricta ligamina.
Et ritus tumulo dedit.
Sumpto pane suum corpus in extima
Panis veste facit, verba potentiæ
Instrumenta suæ paucula proferens,
Nil panis retinens sibi.
Hinc accepta meri cuppa medullitus
Sermones Domini sensit amabiles,
Et transit subito iussa recedere,
Sic verus fluat vt cruor.

Sacramenti Eucharistiæ Institutio.

Hæc augusta manus porrigit, & suis
Cœlestes epulas tradit Apostolis.
Vt fusi memores sanguinis in Cruce.
Hinc Missæ celebrent sacrum.
Atque oblata Deo victima gratiæ
Exundat fluuios, pignora gloriæ
Dat secura suis ista fatentibus,
Carnem & dente prementibus.
Vt concessa suis discipulis fluant
Sumptu magnifico sæcla per omnia,
Tradit presbiteris summa potentiæ
Ornamenta Deus suæ.

Dum

Dum Miſſas celebrant rurſus amabilem
Chriſtum ſacrificant, progenies Dei
Immo ſacrificat ſeſe iterum Patri;
Sit quamuis medio in ſinu.
Nil offerre poteſt dignius, hoſtia
Non eſt mortis inops, myſtica ſit licet,
Et vitæ pretium dextra Theandrica
Stat ſubmiſſa dicans Patri.
Hinc expletur honor debitus optimo,
Quem non Angelici copia muneris
Attingit, meritis victima Numinis
Numen complet honoribus.
Infinitus honos Corporis hoſtiam
Circumdat vario ſchemate, dum Deus
Ex ſola reſidet concomitantia,
Et primas caro ſuſtinet:
Chriſto Golgotici montis acerbitas
Vitam ſuſtulerat, diuitias, decus,
Ornamenta Dei, criminis vt rea
Conculcata iacet caro.
Verum Cœna ſacri Corporis omnibus
Effectiua ſuis dotibus induit,
Saluatoris opes aduenìuut, decus,
Exhauſtum ad cumulum redit.
De panis tumulo vita beatior,
Et Chriſto, & reliquis participantibus
Accedit vacuis crimine, nam caro
Summi dat cumulum boni.

Nihil excellentius Deo poteſt offerri.

Chri-

Corpus Christi non potest magis exaltari.

Christo qualis honor ponitur in throno
Corpus magnifico, quod sequitur Deus;
Cum virtute soni sacrificantium
Verborum veniat caro.
Iusto quantus honos viuere de Deo,
Manducare Deum, non violabili
Cum Christi Domini carne ligamine
Vinciri melius nihil.

Vnio cum iustis intima.

Dat natura suum prouida vinculum,
Formæ materies fœdere iungitur,
Naturam exuperans gratia nexibus
Se dat conspicuam suis.
At cœnalis amor fortius inclytos
Vinctos accopulat, sic manet in Deo
Commensalis amans, & manet in suis
Manducatus amor Dei.
Quis concorporeos tempserit hospites?
Quis consanguineos carnis Olympicæ.
Audebit nebulo spernere? cum Dei
Hæc de carne caro micet.
Mors infensa fuit cuncti potentiæ
Christi, vita pijs condita pabulis
Collapsam medio puluere suscipit,
Placans iustitiam Patris.
Quis non Presbiteri verba potentiæ
Miretur, Domini corpus amabile
Incarnare suis in manibus, Poli
Subiecto sibi Principe?

Mor-

Mortis Chriſtificæ vel ſapientiam
Funus perdiderat ſtultitiæ ſtola
Indutam, celebri dogmate roborat
Miris conſilijs ſtatum.
Fundamenta domus ſic ſapientia
Sciſſis ædificat marmoribus ſibi,
Menſam diſpoſuit, miſcuit & merum,
Vt ſumens ſapiens foret.
Sed quid plura vacans crimine fit Deus,
Dum de Carne Dei guſtat, & Inclyti
Exhaurit ſitiens pocula ſanguinis
Æternas meritus dapes.
Aſt mortale bibit crimine poculum
Qui facto veniam non petit, & reus
Fuſi in Golgotico culmine ſanguinis
Durum iudicium bibit.
Hac fornace Pius corda SALESIVS
Inflammata cremat, ſponſus & aureus
Apponens fidei ſæpe coronulas
Oſtendit tabulam & thorum.
In feruore ſuum paſcit amaſium
Saluator, requiem & cordis in intimo
Franciſci gremio delitijs poli,
Lactando capit optimam.

Accedētium ad Euchariſtiam differentia,

Præcipuum deuotionis Salesij Incentiuum.

Viuat Iesus in Patre dum amoris Paterni victima moritur in Cruce & SALESIVS viuat in crucifixo.

Ode XI. tricolos tetrastrophos.

INnfanda quisquis numinis in suæ
Dilectionis prælia filium
Vult nosse, contendat cruentas
Golgothicæ regionis oras.
Illic furoris flamma seuerior
Accendit imum pectus, & occupat
Interna supremi Parentis,
Et Genitum Genitor flagellat.
Cur pater æternus fuerit in proprium filiũ tam seuerus.
Forsan rebellis militiam Poli
Armauit altum perfidus in Patrem,
Sectatus æterno Gigantes
Insidias solio tetendit?
Sed nulla Christum falsa cupiditas
Inuadit, omnis sollicitudinis
Expers, eandem cum Parente
Progenies tenet alma sedem.
For-

Forſan recepto Corpore ſit reus,
Et partialis factus ad hoſtium
Tranſiuit infeſtas cohortes
Sacrilegis tuiturus armis ?
Iniuſta verum eſt caſtra rebellium
Ingreſſus, aſt non transfuga curiæ
Serpentis patuit fraudibus, & cibum
Manducat vetitum sibi.

Eua curiositati initiũ dedit peccato.

Heu quam cœca fuit blanda loquacitas
Cum serpente truci perniciem satis
allatura suis, & proprium statim
Infectura epulo virum.

Manducare nefas hoc fuit, attamen
Si non Eua virum compulerit trahi,
Pomi blanditijs sola venefici
Traxisset saniem cibi.

Importuna loquax, garrula, blandulo
Afflatu socium criminis allicit
Ex quo prodierat, verba viraginis
Corrumpunt caput omnium.

Eua socium criminis habet virum.

Immortalis homo mortis aculeum
Instigante vaga Virgine sentijt,
Impressamque Dei fœdat imaginem
Assumpto Sathanæ typo.

Amissa pereunt iustitiæ stola
Ornamenta Dei munere tradita,
Terrarum Dominus mancipio datus
Dei Rege in nihilum ruit.

Vulnera primo parenti ex peccato inflicta.

Obscura patitur mente, nigredinem,
Extinctisque focis frigida Charitas
Languescit, nihil est quod manet integrum
In facti sceleris reo.

Transfusio peccati in posteros.

Hinc diffusa lues traduce filios
Infausto vitiat, semen & impium
Transmittit sceleris demeritum vetus,
Corrumpitque propaginem.

B. Virginis exemptio.

Ast Regina poli concipitur sine
Rugis decrepiti criminis horridis,
Calcatura suis sub pedibus venit
Monstri terribilis caput.

Inimicitias ponam inter te & mulierem. Gen. 3 Cant. 7

Nam testante sacro codice dicitur,
Quod vult dissidij semina spargere
Inter Virgineum germen, & impios
Peccati artifices Deus.
Quam pulchre graditur filia principis;
Vt vestita pedes calcibus opprimat
Contritam positis insidijs feram,
Materni ex vteri sinu.
Maternis alios labe recessibus
Monstrum immane ferit mortis aculeus,
Nudatis pedibus tabificam & gerit
Infecta sanie luem.

Sed

Sed patrona poli tuta fauoribus
Sic præuenta fuit, nullus originis
Peccati vt ſteterit vulneribus locus,
Imo contriuerit feram:
Verbis Eua parat pocula perfidis
Quæ mortem generant. Virgo ſilentio
Infectos reparat toxica præparans
Ipſam quæ feriant necem.
Eſt Virgo inſipiens Eua loquacior;
Eſt Virgo ſapiens hæc taciturnior:
Mundum colloquijs Eua peremerat,
Hæc verbo reparat ſolum.
O quam fœda parens prima rebellium!
O quam pulchra parens prima fidelium!
Virgo deficiens fert mala plurima,
Eſt Virgo efficiens bona.
Hinc pulchram ſpeciem ſponſus amaſiæ
Cœleſti in thalamo prædicat, & luè
Peccati nitidam dicit originis
Dum diſponit eam in domum
Quod ſordent maculis tecta theandrica
Quis proferre queat? Cum pia ſanctitas
Hanc in ſole ſitam conſtituat domum,
Et nulla ſcateat lue.
An Regina parens mancipium feri
Portenti fuerit? Stricta ligamine
Quæ portenta facit libera, vinculis
Diſruptis propria manu.

Antbitheſes Eua & Maria.

Cant. 4

Vt mater ſummi Regis immunis a peccato orig.

Ma-

Vt mater ſummi Pontificis.

Mater pontificis ſordeat optimi,
Qui teſtante pio debet Apoſtolo
Exempta maculis ſtirpe vireſcere,
Ne tantum pudeat virum.

Saluatoris opem ſuſtineat licet,
Incorrupta tamen ſanguinis inclyti
Sic præuenta fuit de medicamine;
Vt nil de ſanie trahat,

Vt mater Saluatoris.

Saluatoris enim Virgineus cruor
Exercebat opus, dum caro filij
Aſpirante fuit flamine ſpiritus
Tracta ex virgineo penu.

Aut Chriſtus potuit non violabilem
Peccati ſcabie cudere fœminam:
Aut prædicta potens condere noluit
Corruptam ſaniem trahens

Honor debitus matri id poſtulat à Christo.

Si nolens potuit matris vbi decus?
Natis iuſſus honos quo ruit a Deo?
At quod poſſit quæ cunctipotentia
Nunquid ſtat manibus ſuis?

Hæc primæua ſuis munditiés fuit
In Cœlo Angelicis facta cohortibus;
Conceptæ ſimilis munera gratiæ;
Ecquis Chriſtiparæ neget?

Miram cordis puritatim ex hoc fonte hanſit B.Saleſius.

Hoc exemplar habens mente SALESIVS
Cordis planitiem continuis ſcopis
Verrens ſolicitat, perficiens pedes
Sic ad Virgineos gradus.

Hinc

Hinc mortale ſcelus purus abhorruit,
Vt vel mille neces eligat, & rotas
Atque ambuſti focis pectora quam truci
Fœdari ſceleris lue.

Natiuitas Corporalis Deiparæ B. Franciſco Saleſio ſpiritualis natiuitatis eſt Incentiuum frequens.

Ode III. Dicolos tetraſtrophos.

PRincipes ſæcli genitis ſuborti s,
Sceptra qui regni manibus rotabunt
Igne feſtiuo manifeſta dantes
Gaudia plebi.
Sæpe falluntur, genitrix Neronis
Igne præſago patriæ ruinam
Protulit, mundi & Dominam cremandam
Dixit haruſpex:
Cœlites ſacri melius parenti
Iubilo natam celebrant Mariam,
Ominis fauſti pyra dat futuris
Gaudia ſæclis.
Naſcitur primum e cerebro Tonantis:
Anna telluri generat puellam:
Naſcitur iuſti genitrix puella
Plaudite cuncti.

Prædeſtinatio in matrem Dei prima.

No-

Natiuitatis temporalis a B. Anna. Nouerat matrem genitor supremus
Præuiam sæclis soboli daturam,
Natiuitas spiritualis Iustorum. Corpus intacto medios per annos
Flore pudoris.

Destinans gnatum pater in medelam
Criminis noti genitrix paratur,
Nosse quis posset sobolem nitentem
Matre relicta?

Filius nascens cerebro paterno
Vnicum fontem genitoris omnem
Potat, exhausto fluuio perenni
Prima natiuitas Mente reclusus.

Vnica filia summi Patris. Vnicam summus moderator orbis
Filiam nulla comitante mundo
Parturit, Virgo & genitrix futura
Vna notatur.

Nascitur in lumine intellectuali. Lucidis natus radijs coruscans
Mente productus. Iubaris paterni
Splendor æternus mediante prodit
Luce refusus.

Fusca sit quamuis genitrix Theandri,
Solis ardores roseum colorem
Auferant, omnes specie decoras
Lumine vincit.

Nigra se seruam Domini putando
Dicitur; mundi dominam Tonantis
Notio signat simul & parentem
Regis Olympi.

San-

Sanctitas natum decet in satoris
Optimi Sancto gremio reclusum,
Prædicant Sanctùm moduli perennes
Pectine docto.

Nascitur in sanctitate in splendoribus sanctorum:

Concipit puram sine labe matrem
Conditor Cœli, proceres Olympi
Personant sanctam simul & beatam
Publicat æther.

Matris effusa generatur aluo
Vnicam mundo Ioachimus ortam,
Excipit lætis lachrymis rigando
Sæpe puellam.

Vnicam Cœli dominam subortam
Angeli prona facie verentur,
Quæ cito sedes poterit vacantes
Reddere plenas.

Vnicam norunt populi patronam,
Pœnitens promptam lachrymis medelam
Spondet, & iustus meriti iuuamen
Stante Maria.

Secunda Natiuitas. B. Mariæ gaudium annunciauit vniuerso mundo. Cælesti angelico terrestri.

Gratia plenam superûm phalanges,
Gloriæ & claram radijs puellam
Matre sacratum pariente fœtum
Voce salutant.

Gaudeat tellus benedicta spinis
Lilium surgit solymæ reuulsis,
Balsamum sudat, thimiama dulcem
Spirat odorem.

Abditos Anna pariente monſtrat
Terra theſauros, pretium lapilli
Rupe reſciſi ſuperat valorem
Totius Orbis.

Pullulat ramus viridis veneno
Prorſus ablato, ſolidum daturus
Pabulum vitæ veterum ciborum
Damna leuando.

Iubilent fontes; ſitibundus omnis
Alluit fauces, medio fauore
Syderis nati mare fit quietum
Marmore plano.

Concha ſplendentem generat lapillum
Rore ſuſcepto genitalis auræ,
Parturit gemmam thalamus parentis
Virginis almæ.

Concinat Cœli ſpatioſus orbis:
Sol nouus puris radijs coruſcat,
Ignis accenſus gelidos fouebit
Flante Maria.

Offerant Reges ſolium, Coronam
Purpuram, ſceptrum venerentur almam
Virginem matrem, patula recenter
Fluxit ab aluo.

Offerant natæ ſua dona Sancti
Sanctior nullus, meritum Mariæ
Cœteri metas vbi dant quietis
Incipit ipſum.

Mon-

Montibus Sanctis foditur Syoni
Funditus fossa hinc tabulata surgunt;
Ianuæ ornantur super omne fanum
Isacidarum.

Fundamenta eius in montibus sanctis psal. 86.

Nascitur purus toties SALESVS
Vberi fixam quoties Mariam
Mente secura speculatur; & sic
Vbera sugit.

Tertia Natiuitas spiritualis Iusti B. Salesij.

Vnicus vel si genitus fuisset
Nectaris sacri bibit is fluenta
Dum sui lactis niueum propinat
Alma liquorem.

Mentis arcano renouatus ortam
Gratiæ lucem recipit SALESVS;
Sanctitas crescit peraet vt beato
Fine quietem.

Ex Præsentationis B. Mariæ in templo contemplatione suam Deo consecrat Iuuentutem B. Franciscus Salesius.

Ode IV. tricolos tetrastrophos.

Iudic. 11.

BEllator olim fortis in agmina
Ammonitarum, flamine numinis
Iephtæus afflatus ruebat
Exhibito furibundus ense.

Hæc vota fundens Cœlicolum patri,
Si laureata fronte recederet,
Quæcunque in occurſum venirent
Prima domo iugularet aris.
Poſt fracta ferro caſtra rebellium,
Non incruento puluere ſordidus,
Clarus triumphis & decore
Ad proprios remeat penates.
Verûm in cypreſſum laurea vertitur,
Formoſa quando filia tympano,
Et voce victori canora
Egreditur modulans parenti.
Crudele votum complet, & vnicam
Quam diligebat cordis in intimo
Compulſus altari puellam
Præcipiti iugulat furore.
Crudelis in ſe, nec pius in Deum
Aram Innocenti ſanguine polluit,
Et glorioſis dat cruenta
Barbarie maculam triumphis.

Maria Virgo in templo præſentata non eſt mortis victima.

Spectacla templo quæ Salomonico
In conſecrata Virgine numini
Cernuntur, illuſtres triumphos
Accelerant genitæ tonantis.
Non parricidam fert Ioachim manum;
Non Anna natam mater amabilem
Compellit, aſt Virgo triennis
Parthenicum facit ipſa votum.

Cru-

Crudele nil eſt, ſacrilegum nihil,
Deuotionis feruor at æſtuat,
Mirante ſcandentem gradatim
Pontifice, & populo Mariam.
Oblata nullos mortis aculeos
Perſentit, almum victima ſpiritum
Cum nacta ſit vitæ puella
Interius moritura nunquam.
Teſtante paulo ſi tria victimam
Illuſtriori ſorte notabilem
Reddunt, & accenſum Tonantis
In populos ſopiunt furorem,
Quod ſanctitatis lumine fulgeat,
Quod gratioſo complaceat Deo.
Quod dedicatur ſit refertum
Obſequio rationis omni.
Num Virginalis victima continet
Fœcundiori hæc fonte Chariſmata?
Hæc ſancta Sanctorum eſt recluſo
Inſolita pietate velo.
Myſteriorum plena, ſeraphicas
Expandit alas flammea Charitas,
Et cordis arcano tumentem
Diuitijs latitauit arcam.
Antiqua legis dogmata non gerit,
Sed præparatur flamine ſpiritus,
Vt legis optatæ patronum
Parturiat, tenerumque lactet.

Rom. 12. Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam ſanctam Deo placentem & rationabile obſequium &c. Hoſtia B. Virginis ſāƈta.

Non

Non manna geſtat, nectaris attamen
Illuſtrioris pocula præparat,
Qui ſponſus accepit Mariam
Ambroſiam populis daturam.
Non aſtat illic virga ſeuerior
In lenitatem fulmina vindicis
Conuertit, & dextram tonantem
In fluuij bonitatis vndas.
Mentis lucernæ lumine plurimo
Ardentiori conſpicuam face
Reddunt, Mariam fertque fumos
Pluſquam Arabum thimiama cordis.
Fit Deo placens quia plena humilitate & charitate.
Oblata ſummo victima numini
Fit grata, tantum gratius vt nihil
In mole terrarum rotunda
Excipiat meliore dextra.
Submiſſionis munera diligit,
Solamque cordis ſuſcipit hoſtiam
Viuentis, & ſe vulnerantis
Flammiferi iaculis amoris.
De ſauciato pectore ſpiculis
Dilectionis pungitur, in vices
Languentis alternas amantis
Vulneribus mutuis feritus.
Iam Virgo languet trima ſacrario,
Et ſponſo amoris ſpicula lancinat,
Et ſponſus ardenti ſagitta
Incinerat mutuo Mariam.

Sub-

Snbmiſſa cunctis Virgo puellulis
Maternitatis tecta theandricæ
Virtutis exemplar, profundis
Ædificat taciturna foſſis.
Sumptura tandem ſic moderamina,
Commotionum, nullus vt impetus
Inſultet in mentem quietam,
Obſequium rationis offert.
Exemplar iſtud ſæpe SALESII
Attentiori mente puertiam
Componit ad mores, ſenectam
Cum pueris velut aſſecuti.
Vt paſſionum fræna leonibus
Imponat ex hac Virginis hoſtia,
Virtutis accreſcens nitorem
A minimis maculis tuetur.
Primam iuuentæ conſecrat hoſtiam
Agnellus aris, ne vitij tenax
Natura corrumpi valeret,
Induere aut habitus malignos.
Hinc ſpiritalis vita nitentior
Fit ſancta, ſummo ſic placet & Deo,
Et mentis excelſæ receſſus
Sic ratio moderatur omnes.

Fit obſequium rationabile cum appetitus ſemper habuerit rationi ſubditos.

Suam B. Saleſius Deo conſecrat iuuentutem exemplo Mariæ.

Virginalis Matrimonij nexus inter Iosephum & Mariam B. Franciscum Salesium induxit ad non deserendam Ecclesiam Genuensem quamuis ad pinguiores sollicitatum.

Ode V. Dicolos tetrastrophos.

Fœcunditas æterna nullo nititur matrimonio.

SI natura patris mente propaginem
Conceptam generat, non matrimonij
Accercere potest stricta ligamina,
Nam diuisa forent duo.
Sit fœcunda licet notio, non tamen
Libertate potest fixa necessitas
Seu spirans, generans seu sobolem, frui
Externa arbitrio gerens.

Humana fœcunditas non sine matrimonio.

Ast natura hominum non nisi vinculo
Lucinæ speciem complet, & vnio
Commendata locis in paradisijs
Est seruans hominum genus.
His permixta bonis sunt mala plurima,
Et mater thalamo non reparabile
Amittit generans virgineum decus,
Et sentit pariens cruces.

Theandrica requirit matrim, sed Virginale.

Sed cum progenies orta theandricis
Inconcussa nitet dotibus, & decus
Seruat Virgineum matris, & omnibus
Est exempta doloribus.

Tæ-

Tædæ parthenicæ vincula postulant,
Atque in Virgineis nectit amantibus
Tanto pura simul corda ligamine,
Vt nascatur homo Deus.
Expectata dies adfuit, vt pio
Tellus coniugio lætior æthera
Festiuis facibus splendida redderet,
Adducens cumulum boni.
Adsunt nobilitas, diuitiæ, decor
Claros ingenijs, indole fulgidos,
Non natura potest iungere nubiles,
Sed connectit amor Dei.
Virgo nobilibus nata parentibus
Tot Reges proauos annumerat suis
Claris stemmatibus, quot diademata
Ornant Dauidicam domum.
Nil natura dedit Virgine pulchrius,
Solo crine suum lædit amasium,
Hinc mentis radijs sydera cogitans
Cœlorum Dominum trahit.
Dum sincera polo lumina lancinat,
Atque intenta locis figit olympicis,
Percussum iaculis stellifero suum
Deturbat solio Deum.
Errabunda leui cæsaries noto
Frondescens capiti flauet, & arduo
Carmelo similis luxuriat pilis,
Omnem caluitiem negans,

B. Virginis dotes insignes.

Pulchritudo Mariæ describitur Cant. 4.

Depictæ que rubent purpureis genæ
Pigmentis velut ex fragmine punici
Malogranatici, fragrat anhelitus.
Vt fumos arabum putes.
Vittis coccineis labra rubentia
Exornat faciem, nasus acutior
Assurgit similis turris eburneæ
In summo libani iugo.
Quando ostendit ebur pulchra nitentium
Subridens leuiter sponsa, molarium,
Agnorum similem dant niueo gregi
Splendorem media die.
Turris Dauidicæ colla monilibus.
Exornata micant in similem modum;
Expressumque botris vbera nectare
Diuino superant merum.
Fulget Christipara vt pixis eburnea;
Quando ventre tumens portat amabilem
Cœlorum Dominum, mille lapilluli
Virtutum, & radiant face.
Dat tornata manus gemmeæ munera;
Surgunt marmoreis crura columnulis,
Et sic compositis gressibus ambulat
Mirentur superi vt pedes.
Cant. 7. Quam formosa fuit filia principis,
Quando induta pedes obuia calceis
Conculcat sceleris decrepiti & caput,
Adducens veniam reis.

Ve-

Verum si species exterior micat,
Quæ clausis latitant intima ianuis
Tot clarent radijs nullus vt audeat
Attentos oculos dare.
Cum sit diuitijs plena perennibus
Fallaces pedibus calcat, & aureo
Circumfusa Deo, sic satiabilem
Explet non alio sitim.
Sed cui iuncta viro nubere debeat
Cui par nobilitas, diuitiæ pares,
Internusque decor dotibus omnibus
Sponsum conspicuum ferat?
Aris consulitur fatidicis Deus,
Respondetque virum Dauidicæ casæ
In cuius manibus virga refloreat,
Hunc sponsum meritum fore.
Hæc Iosephe tuis in manibus nitent,
Extinctusque vigor sic baculo redit,
Vt frondescat apex floreat & simul.
Fructum Virgineum indicans.
Tot Reges atauos nobilitas dedit,
Possessusque Deus diuitias facit,
Et si disparitas dotibus intimis
Tu cunctis propius venis.
Tectis arca tuis mille charismata
Circumducta dabit, Christus amasij
Thesauros geruli conferet in sinu,
Explebisque sitim Deo.

Iosephus solus erat dignus Virgine in sponsum.

N 2 Tæ-

Tædæ parthenicæ Virginis & pij
Iosephi stimulos corde SALESII
Figunt Virgineo semper vt hæreat.
Ad sponsam sociam sibi.

Parthenicū ligamen. Alligauit fortius. B. Salesium sua Ecclesia Geneuensi.

Sit quamuis stygiam nigra per hæresim,
Est formosa tamen candida purpuræ
Coniugens meritis lilia laureis
Tradens Virginibus Cruces.
Hæc unita simul Pontificem pium
Clarum reddiderant, totus vt æstuet
Ex desiderio martyrij rubens,
Totus parthenicus micet

In Laudem Sacræ familiæ,
Iesus, Maria, Ioseph
Hymni

Angelus Certiorem Reddit Iosephum de Beatissima Virginis Integritate.
Hymnus I.

QVid vacillanti similis Mariam
Intumescentem genitricis instar
Respicis, mentis dubiæ procellas
Corripe Ioseph?
Sponsa supremum paritura Iesum
Debuit Cœlo grauidante fœtum,
Intimis nam sic cecinere vates
Ferre medullis.

Qui

Qui Patrem nouit ſine matre, ſolis
Ante ſplendores iterum renaſcens
Tempori amplexus renuit paternos
Matris alumnus.
Concipit verbum genitor perenne
In ſinu. Terris ſine labe Ieſum
Concipit ſaluo genitrix futura
Flore pudoris.
Gloriam ſummæ Triadi canora
Voce pangamus, triadi ſecundæ
Debita alternis modulis ſodales
Cantica ſoluant.

Naſcitur Ieſus inter Mariam, & Ioſeph vt Sol inter ſydera.
Hymnus II.

PIgnori ſacro ſtabulo patente
Excubant mater pater & putatus.
Aſtra ne celſi genitum Tonantis
Inuida raptent.
Et ſuum tuto varijs Olympum
Poſſidet tellus facibus decorum,
Fœna diuini ſolij ſuperbum
Culmen adæquant,
Purior ſtellis radiat maritus,
Pulchrior luna rutilat Maria,
Clarior phæbi radijs coruſcat
Chriſtus vtrique.

Ali-

Alites sacri potius relictis
Sedibus Cœli volitare terris
Postulent, quam sic violenter astris
Iungere sydus.
Gloriam summæ Triadi canora
Voce pangamus, triadi secundæ
Debita alternis modulis sodales
Cantica soluant.

A Maria, & Ioseph Circuncisus Iesus.
Hymnus III.

COElorum tegumen rumpite Cœlites
Vestris digna oculis pompa renascitur
Ad mortem properat mortis, & arbiter
Et vitæ silicem petens.
Quid Iosephe Deum mortis acumine
Quid lento puerum vulnere percutis
Vix natum sceleris Virgine conscia?
Sed fallor scelus est pium:
Ni Ioseph lapidem caute retunderet,
Ni Virgo puerum sanguine tingeret,
Hircana fieret tigre ferocior
Dum raptis catulis furit,
Christus petra fuit rupis amabili
Attritu generat flammiuomas faces,
Vt saluet populos nomina sanguini
Misceri satius fuit.

Su-

Supremæ Triadi plaudite cœlites,
Terrenæ Triadi pangite canticis.
Æternis, resonet sydereæ polo
Stellatum laquear domus.

Iesus Adoratus a Magis Maria & Ioseph præsentibus.
Hymnus IV.

QVod nouum sydus radians Olympo
Lustrat ardentes orientis oras,
Et monet Reges rutilum sabæos
Linquere sceptrum?
Quis vehit stellam? pia corda Regum:
Quis mouet. E cantos solymæ tumultus.
Quis ciet? fœnum puero prementi
Cuncta ministrant.
Promptius venris superi coruscami
Destinant stellam, pretium metalli
Terra dat nato genitricis inter
Brachia summæ.
Astat excelsi genitor putatus,
Et trium Regi recipit potentum
Lætus oblatum decus ac honores
Thuris odore.
Ite Cœlesti monitu Tonantis
Principes sacri stipulæ sedenti
Purpuram, sceptrum, diadema regni
Subdite vestri.

Glo-

Gloriam summæ triadi canora
Voce pangamus triadi secundæ
Debita alternis modulis sodales
Cantica soluant.

Iesus Maria & Ioseph fugiunt in Aegyptum Angelo monente.
Hymnus V.

EN rursum pharii littoris occupat
Importuna fames ostia; frugibus
Extinctis socia coniuge Cælitum
Fer panem pater Inclyte.
Sep.enni rigidis sydera fluxibus
Annona populos ni citus aduoles
Vexabunt, sterilis fructibus ætheris
Pinguescet modo perferas.
Si te niliacæ dura necessitas
Terræ non moueat, grande periculum
Saltem quod puero barbaries parat
Regis te moueat feri.
Iam ferro minitans solicitus necem
Districto pueri non satiabilem
Vult explere sitim sanguine barbarus,
Qui solis suibus pius.
Supremæ triadi plaudite cælites,
Terrenæ triadi pangite canticis
Æternis, resonet sidereæ polo
Stellatum laquear domus.

Iesus Maria & Ioseph Angelo monente Reuertuntur ab Aegypto.

Hymnus VI.

ITe sat nilum profugi bibistis,
Barbarus sceptro perijt relicto,
Et luit pœnas scelerum cruentas
Victima mortis.

Tutior terris habitabit infans
Queis satus, quam si Pharijs moratus
Exulis vitam traheret nefandis
Isidis oris.

Mitius sceptrum genitus rotabit
Quam pater sæuus, puero timendum
Nil sacro quando patriam reuisens
Cuncta beabit.

I pater gressus glomera citatos
Virginis nato reducis secunda
Alite excelsum comitare fœtum
Sancte viator.

Gloriam summæ triadis canora
Voce pangamus, triadi secundæ
Debita alternis modulis sodales
Cantica soluant.

Fletus Mariæ & Ioseph Iesum Christum triduo absentem quærentium.
Hymnus VII.

OBuium quisquis genitum Maria
Nactus es sacris solymis viator
Siste, dic quosnam penetrat recessus
Abditus infans.
Virginis fusis lachrymis madescunt
Ora, laxatis cruciant habenis
Intimi sponsum profugum dolores
Propter Iësum.
Dicite excelsi radiantis aulæ
Hospites, si quis violentus astris
Extulit lucem solymæ nitentem
Omine fausto,
En micat sacris Salomonis aris
Instruens doctos duodennis infans,
Mente conceptum teneri parentes
Ponite luctum.
Gloriam summæ triadi canora
Voce pangamus, triadi secundæ
Debita alternis modulis sodales
Cantica soluant.

Iesus, Ioseph, & Maria subditur.
Hymnus VIII.

QVi celso superis imperat æthere,
Tellurisque globum pollice sustinet
Ex quo Virginei lactis amabiles
Hausit delitias Deus.
Neglecto capitis se diademate
Submittens homini conditor omnium
Lignorum artifici subditur, & piæ
Matris consilium tenet.
Cœlesti puero nobilis artifex
Quæ mandata ferat pectore fluctuat,
Quid mandet genito mater & anxia
Mentem sollicitam trahit.
Sed parere sato non dubium fuit.
Intentis oculis iussa capescere
Non materna modo postulat, ast fabrum
Obseruat pius vt patrem
Supremæ triadi plaudite cœlites,
Terrenæ triadi pangite canticis
Æternis, resonet syderea polo
Stellatum laquear domus.

Iesus, & Maria flentes in morte Ioseph.
Hymnus IX.

SAluator pharij littoris ad necem
Grandæuus properans ora palatij
Tingit niliaci fletibus, & thronum
Nutantem lachrymis rigat.
Saluatoris opem qui pius attulit
Ægipto, moriens sidera dum replet.
Alternis modulis terrea deserens
Confundit gemitu solum.
Heu quali fremitu Christus inhorruit
Supremi relegens vltima spiritus!
Heu quales lachrymas coelica seminat
Æterni geniti parens!
Qualis pompa fuit funeris inclyti
Cum sacras pheretro supposuit manus
Astrorum Dominus, sponsaque funebres
Dum lugens sequitur faces.
Supremæ triadi plaudite cœlites,
Terrenæ triadi pangite canticis:
Æternis resonet sydereæ polo
Stellatum laquear domus.

For-

Formatus in utero B. Virginis in Annunciatione Christus, Pium Pontificem Franciscum Salesium inducit ad eum formandum in hereticorum cordibus.

Ode V. in Tricolos tetrastrophos.

QVam lætas misso de super aliti
Intacta Virgo nuncia suscipit,
Incorporatam in sui Tonantis
Progeniem paritura mundo.
Nam cum profundo cuncta silentio
Immersa Phœbi luminis æmula
Regnante, proflarent soporem
Omnipotens solium reliquit.
Vt Virginalem factus homo thronum
De castitatis lumine splendidum,
Clarumque virtutum lapillis
Exiliens habitare possit.
Sic nempe summi dextera numinis
Maternitatis Christiparæ decus
Exornat, vt tectum parari
Iusserit ad meritum manentis.
Neruosa summus brachia porrigit
Rerum creator, cuncta potentia
Secreta producens puellam
Diluuio cumulat bonorum.

Disponitur Maria ad conception & Theandri.

Sed

Pater æternus B. Virginem obumbrat.

Sed ne grauamen sarcina gratiæ
Inducat, olli peruigil excubans
Ardoris immensos obumbrat
Igniuomi, & moderatur æstus.

Spiritus S. superuenit cũ gratiarũ diluuio.

Qui Trinitatem nectit amabili
Dilectionis tanta ligamine
Effundit in sponsam fluenta,
Vt fluuium minuisse credas.

Exhausta quamuis flumina spiritus
Non esse possint, copia gratiæ
Fit tanta quin mater feratur
Alma bonis spoliasse numen.

At si paternam Virgo potentiam,
Et stricta amoris vincula spiritus
Suscepit ex alto vt paratam
Se exhibeat genito Tonantis:

Dat Filius Matri sapiẽtia ornamẽtum.

Quam non supremi filius eligens
Matrem parentis dat sapientiam?
Vt mente conceptum priusquam
Ventre ferat sapienter edat.

Sic annuentis Virginis Angelus
Explorat alto missus ab æthere
Secreta cordis, quo Theandro
Materiem generans ministret.

Persona verbi Virginis in sinu
Incorporatur, victima criminum
Summo parenti mox futura,
Parthenica saliens ab aluo.

Vt flamma ferro iuncta per intimos
Intrans meatus pondera subleuat,
Clarumque concedit nitorem
Lucifugæ sociata massæ.
Sic iuncta terræ numinis inclyti
Natura pondus tollit, & inuios
Succensa peruadit recessus,
Et miseram radijs coronat.
Non otioso viscera lumine
Terrena phœbus respicit, intimis
Sed lucis influxu medullis
Continuos generat lapillos.
Sic Christus almam Virginei soli
Fœcunditatem sole ei latior,
Sit quamuis inclusus fluentis
Assiduis cumulat fauorum.
Fornacis instar pectora bulliunt,
Augente semper luminis ignei
Sic fonte maternis perenni
Visceribus refluos amores.
Formatur alto si patris in sinu
Verbum increatum, viscera Virginis
Conceptionem si Theandri
Suscipiunt superûm fauore.
Vult spiritali germine cordibus
In Christianis viuere, concipi
Viuosque cognosci satores
Pontifices animis ferentes.

Incarnatio Verbi similis ferro candenti ex Basil.

Christus thesauros gratiæ producit in matre pregnante.

Christus vult in cordibus fidelium formari.

Hinc

Hinc de paterna folicitudine
Infructuosis semina proijcit
Franciscus in terris Geneuæ,
Auxiliante manu Theandri.

Disseminantis terra zizanijs
Horrebat albo gramina tritico
Infesta fallebant colonum,
Et Sathanæ faciem notabant.

B. Franc. Salesius in formando Christo in omnium cor dibus totus est.

Formare Christum tentat in intimis
Cordis medullis præco SALESIVS,
Vel monstruosam sic tyranni
Effigiem stigij leuando.

Mundana spargit flamina numinis
Emolliendis corda rebellium
Implorat optatos fauores,
Innumeros generans pusillos.

Sic restituto formæ imaginem
Christi micantem dogmate Pontifex,
Vtq; semper accrescat nitorem
Pasturus genitos Olympo.

Materna gnatis vbera porrigit
Distillantis plena liquoribus,
Lactatus ipse a parente
Parthenica ad propriam salutem.

In mente fixam vt seruet imaginem
In castitatis lumine permanet,
Et cordis arcano profundi
Effodiens humiles abissos.

Di-

Diuina Virgo hæc bina Charismata
Effunde plenis fœta canalibus,
Et gratiarum nos inunda
De cumulo vt repleamur omni.

Ex Contemplato sæpius Visitationis B. Mariæ Virginis Mysterio vult omnibus omnia fieri B. Franciscus Salesius.

Ode VII. Dicolos tetrastrophos.

SAluatricis opus numinis impetu
Aggressura ruit Cœlicolum Regens, *Abit Virgo in montana Iuda cum festinat. Luc. 1.*
In montana citis gressibus obuia
Pergens Zachariæ domum.
Consobrina tumens ventre puellulum
Gestabat veteri crimine sordidum;
Præcursor digito qui populis dabit
Agni notitiam Dei.
Vix Regina potens ora resoluerat,
Cognatæque tono vocis amabili
Vrbanum obsequium reddiderat piæ,
Exultat subito puer.
Quæ vox Elisabeth, inquit, in intimis
Est audita vteri carceribus mei,
Qua nondum genitus jubilat in sinu
Matrem lætificans simul?

Salutat Elisabeth Maria.

Verum qualis honos excipere in casa
Matrem parthenicam, quæ Dominum poli
Indutum generat carne theandrica,
Et terris pariens dabit?
Sed quæ causa mouet viscera præuius
Diuersatur vbi cursor, & horridis
Tantam carceribus lætitiam trahit
In ventris media lue?
Vuluæ quippe lutum in pocula nectaris
Conuertit, tenebras in iubar aureum,
Peccatique stygem cum paradisijs
Mutat delitijs poli.
Cum matrem Elizabeth visitat in domo,
Grandæuamque leuat maxima Virginum
Infantes mutuis obsequijs suam
Produnt lætitiam sibi.

Primum opus Christi Saluatoris fuit in Zachariæ domo.

Primum Christus opus quod patuit solo
Saluatoris agit Zachariæ in casa,
Cursorique suam dans operam, leuat
Antiqui sceleris luem.
Baptizare suum præuius aduenit
Baptistam, media voce relarciens
Vocem Virginea, turtur enim sonum
In terra Elizabeth dedit.

Quatuor miracula Christus patrat in sanctificatione Ioãnis.

Portentis quatuor clara dies fuit,
Namque inuisibilis cernitur in sinu
Materno, tenebris obsitus igneas
Accendit puero faces.

Ser-

Seruo mancipij vincula sustulit
Infans barbarico mancipio datus,
Auditurque loquens mutus ab auribus
Obtusis pueri sati.
Sic ex hoste puer factus amasius
Claro inuisibilem lumine prospicit,
Non muros veritus carceris obuios
Cancellos aperit fides;
Exundantis enim diluuium boni
Motus insolitos causat in intimis
Clausuris vteri, sicque puelluli
Amplexum in mutuum ruunt.
Hinc concessa fuit copia gratiæ
Excessiua cauis plena canalibus,
Et Cœlum tetigit terrea quam prius
Præcursor Domini pius.
Splendor syderei numinis in situ,
Et squallore satus de tenebris faces
Educit sceleris traduce consiti,
Obscuram eijciens luem.
Sic in nube latens Virginea terram
Illustrat media luce nigredinem
Vt fax esse queat splendida, luminis
Primæui perhibens fidem
Non lux esse potest, testis at optimus
Lucis deciduæ de superum throno,
Et quod terrigenis lux venerabilis
Obscuris tenebris nitet.

1. Inuisibilis videtur.
2. In tenebris dat lumen.
3. Stans in carcere liberat.
4. Mutus auditur loqui.

Baptistæque manus libera soluitur
Quæ captiua fuit; pondera succutit
Qui vel colla iugo præstitit, & feri
Mancipium sceleris fuit.
Si non culpa ligat criminis arbitrum,
Verum barbaricam pœna tyrannidem
Exercere potest in sobolem Dei,
Id quamuis subeat volens.
Quod captiua manus sustulerit iugum,
Et vindex scelerum pondere criminum
Oppressus fuerit, iudicij Dei
Istud consilium fuit.
Tandem præco pius muta Theandrici
In se colloquij verba patentibus
E matris gremio sentijt auribus,
Hinc infans salijt stupens.
Vox clamantis enim codice debuit
Munus fatidico deuia per loca
Exercere suum, mira silentij
Expertus proprio bono.
Linguæ Zacharias muta silentia
In se sentierat, dum fuit anxius
De nascente sibi prole per Angelum
Promissa dubia fide.
Ablati reparat faminis inclytus
Ornamenta patris natus, amabilem
Et matrem Elizabeth flamine spiritus
Exornat cumulans bonis.

Sal-

Saluatoris opem Zachariæ in domo
Christi solicitam Virginis e sinu
Attentis animis sæpe SALESIVS
Voluebat sapiens sibi.
Festinantis opus Virginis & pium,
In mentis speculo continuo gerit,
Hinc factus medijs omnibus omnia
Omnes obsequijs iuuat.
Sic inuisibilem monstrat & hæresis
Depulsis tenebris vincula succutit,
Et pastoris oues eloquium audiunt
Attentis animis pium.

Exemplo Virginis Salesius omnibus omnia factus iuuat omnes.

B. Franciscus Salesius omnibus omnia factus Parthenicum sanctimonialium chorum sub nomine visitationis B. Mariæ Virginis non sine mysterio instituit.

Ode VIII. Dicolos tetrastrophos.

PRædicent prisci varijs sybillas
Laudibus castas, faciant futuri
Præscias, Diuis maculas dederunt
Thura litantes.
Æstiment cuncti pretium sororum
Queis biceps culmen modulo perenni
Personat, sacris animis prophanus
Regnat Apollo.

Antiqua Sybilla, Vestales, aut Musa cedunt lauream sanctimonialibus visitationis B. Mariæ.

Ef-

Efferat puras tyberina Cœlo
Roma vestales, calidis sub aris
Igne seruato gelidis rigescunt
Corda lacunis.
Sœculi nostri fluit ecce cursus
Sanctior, sacræ melius cohortis
Dedicat Christi vigilans parenti
Corda SALESVS.
Præscius fati chorus hic futuri
Certius quam de veteri sybilla
Indicat, Sanctum sibi namque Cœli
Præparat æuum.
Castior fulget nouus iste fœtus
Virginum, quam si medium teneret
Inter excelsas bijugi sorores
Flante SALESO.
Igne feruenti phlegetontis ardent
Virgines vestæ, quia nullus illis
Cœlicæ flammæ vegetauit ardor.
Pectoris aras.
Virgini summæ chorus hic dicatus
Intimo accensas animo fauillas
Flantibus sacris monitis SALESI
Portat ad aras.
Curiæ Cœli vigilans patrona
Visitans sacras sine labe turmas,
Inserit flammas similes Ioanni
Cordis in imo.

Chri-

Christus & sponsas paribus fauorum
Abditas claustro cumulis honorat,
Quas sinu matris generat reclusus
Ignis amoris
Cernitur Christus meditatus etsi
Clausus in celsi gremio parentis,
Quamuis, & claustri tenebris latentes
Abdita quærant.
Non videt mundus genitum latentem
In sinu summi genitoris almo,
Corde nam mundis patitur videri
Solus Iesus.
Sordibus sæcli terrenæ puellæ
Offerunt Christo vacuum cubile
Pectoris casti, varioque florum
Schemate pulchrum.
Non videt mundus sobolem Tonantis,
Longius nam sic fugitat superbos
Cerni ut haud possit; tenebrosa quamuis
Lumina figant.
Victimas Christi genitrix freqneuter
Visitans claustri latebris reclusas
Cordis arcanum fodit, & profundas
Sulcat abyssos.
Christus hinc astans humili coronæ
Virginum, nunquam e memori recedit
Mente, patronum famulæ SALESVM
Pone sequtæ.

Christus in sponsis eadem miracula præstat ac in Ioanne in vtero.

1. Vident Christum inuisibilem per frequentes meditationes.

Fœ-

2. Illuminantur a Christo mediante doctrina B. Salesij luce castimoniae:

Fœcibus fæcli putridis fcatentes
Non vident Iefum radijs corufcum,
Orbitas mentis facit, vt Theandrum
Cernere nolint.

Splendidis Cœli facibus nitentes
Dogmatum facri medio fauore
Flaminis; fponfum nitido micantem
Lumine cernunt.

3. Spiritum adoptionis recipient trahuntur ad fuaue iugū Chrifti per paupertatis votum.

Si iugum Chriftus repulit Ioannis
Ipfe captiuus gremio parentis,
Fixus in trunco poterit cathenas
Soluere mortis.

Funibus vinctas trahit hinc amantes,
Lineæ centro refident quietæ
Pondere innato; monialis almum
Quærit Iefum.

Purpurat montis rigidi cacumen
Floribus fpretis, tribulis coronam
Portat horrentem, vt gemebunda plangat
Sponfa dolorem.

Transfodit pectus iaculo Theandri
Barbarus miles, fibi quo cubile
Eligens durum capiat cruentam
Sponfa quietem.

Figitur clauis manuum poteftas,
Vt iugo fæcli melius reuulfo
Liberam Cœlis animam reuoluat
Sponfa frequenter.

Squal-

Squallido quamuis gemitus columbæ
In ſpecu clauſtri monialis edat,
Libere excelſi ſpatijs Olympi
Currit apertis.
Carceris ſacra retinacla dextram
Non ligant ſponſæ, potius receſſus
Dicitur cordis meditantis alta
Iugiter aſtra.
Cæſares poſt ſe medijs triumphis
Barbaros vinclis rigidis trahebant
Sub iugo, multis lachrymis gementes
Colla dediſſe.
Iubilant vinclis animi ligatæ
Virgines, Chriſto religantur, aucto
Libero, celſis ſociæ & triumphis
Aſtipulantur.
Portio tandem gregis eminentis
Sanctior dulces recipit loquelas
Aure paſtoris ſuæ per ſeipſum
Ipſe profatus.
Aut creatura mediante clauſtris
Virginum, voces reſonent Theandri,
Aut per effoſſos manuum pedumque
Dicat hiatus
Scripta paſtoris meriti. Genuæ
Id docent, ſacras mouet ac ſorores
Mente concepta in ſpeculo SALESI
Ardua virtus.

4. *Vocem paſtoris per ſanguinem & vulnera loquentis audiant per obedientiam*

Ex oblato a Beatissima Virgine purificata sacrificio devotionem in quotidianis Missæ sacrificijs haurit B. Franciscus Salesius.

Ode IX. tricolos tetrastrophos.

QVo pulchra summi filia principis
Nostræ salutis pignus amabile,
Consorte Bethlemum relinquens
Parthenico comitante portas?
Desæuientes non metuis minas
In te monarchæ? tigre ferocior
Non parcit ætati, & furorem
Non satiat fluuius cruoris.
Non ipsa coniux tuta palatio,
Non filiorum turba tyrannidem
Euasit irati parentis,
Sanguineas sitienti vndas:
Commune asylum quæris vt impij
Regis cruentas effugias manus?
Sed nunquid æterni parentis
Insidias soboli tetendit?
Non parcet aris ira nitentibus
Cui spurca fanis est hara tutior,
Solique porcorum cohorti
In solymis rabies pepercit.

Herodes sitiebat sanguinē Christi infantis.

In-

Inuicta pergis Virgo per asperos
Secura calles ponderis inclyti
Nusquam grauante, imo adiuuante
Sarcinula sobolis parentem.
Qui mundialis pondera machinæ
Non lassus vno pollice sustinet,
Materna non vexans fatigat
Brachia progenies Tonantis.
Ingressa templum marmore consitum
Totius orbis protulit hostiam,
Et facta placauit sacerdos
Numinis insolitos furores.
Quas ista tædas victima quem rogum!
Quæ busta fornax cordis in intimo
Non excitauit, dum leuatur
Pontificis simeonis vlnis?
Quam vana sordent, inquit, in infimis
Telluris oris omnia, dum Deum
In carne vestitum licebit
His oculis moriens videre.
Quam læta fusum parca relinqueret
Filumque vitæ nunc mihi scinderet,
Post visionem me salutis
Ad tumulum properare fas est:
Grandæua post hæc Anna prophetico
Afflata dicens plurima spiritu
Cœlestis obtutu puelli
In refugos iuuenescit annos.

Oblatio victima totius mundi facta a B. Virgine.

Nunc dimittis seruum tuum Domine ait Luca

Sed quis mariti Virginei faces
Ardentiores versibus exprimat?
Delubra dum gressu modesto
Ingreditur gerulus puelli.
Almæ parentis per matrimonij
Stricti ligatum vincula sufficit
Fornacis in formam putatum
Esse patrem vt manifestet ignes.
Ast inter omnes Virgo sagacior
Materna fundit viscera; victimam
Dum mactat intactam pudoris
Parthenici iugulans columbas.
Maternitatis sic Deus alligat
Fœcunditati Virgineum statum,
Vt flore seruato Theandrum
Parturiat, sobolemque portet.
Sed puritatis sic genitrix Dei
Oblita ad aras vt rea turtures,
Sit quamuis immunis nitorem
Sacrificat maculans pudoris.
Et quod stupendum Christus vt hostia
Oblationis crimine noxius
Apparet, vt fidelis redemptus
Ad nihilum valeat reduci.
Affulget aris Victima pulchrior
In Christianis, non simeon senex
Complexus infantem Theandrum
Accelerat tumulum videndo.

Mactat Virgo Maria ad aras suã puritatem Virginalem.

Christus Annihilatus Deo apparet vt Redemptus.

Ast

Alt offerenti vita prolatior
Confertur aris, iugiter hostiam
Mortis cathenis iam solutis
Sacrificat vegetam sacerdos.
Quotidian s vlna SALESII
Versat Theandrum tactibus, & Dei
Sic placat offensi furores,
Vt tonitru in pluuiam resoluat
Dimittis, inquit nunc famulum senex
Grandæuus, alti conditor ætheris
In pace promissam salutem,
Quippe oculi populis tuentur
Non sic SALESVS vincula, sed sibi
Connectit almo sacrificans Deo,
Nolensque dimitti, cathenis
Corda ligat sociatque Christo.
Exit solutus corpore si senex
Viso tonantis pignore, vincula
Maiora limborum cauernis
Solicitum diu sed tenebunt.
Quem verba fundunt sacrificantia,
Si vinculatum reddit amasium
Maiore libertate in altis
Cœlicolum spatiatur agris.
Hinc sæpe sacrum corda SALESII
Post persolutum sydera sensibus
Currunt relictis, & vagantur
Angelicis sociata turmis.

Antithesis Simeonis & B. Salesij quotidianâ victimâ ad altare offerentis.

Gran-

Grandæuus atram luce nigredinem
Visa peroptat dum tumulum petit;
Imasque limborum lacunas
Christificis satiatus vndis.
Clarus Geneuæ lumina pontifex
Post densiorem mortis imaginem
Conquirit, & potus perenni
Fonte alios abigit liquores.

Deperditum Iesum annorum duodecim quærit
Maria cum amore solicito necnon illius
præsentia continua lætatur.
B. Salesius.

Ode X. Dicolos tetrastrophos.

VIx sol zodiaci flammiuomis citus
Perlustrarat equis cuncta palatia,
Bissenis vicibus dum puer inclytus
Doctores solymæ docet.
Hinc cum parthenica matre theandricus
Infans prodierat, quo Salomonijs
Aris vota daret flammea pectoris
Igniti vt soboles patri.
Ad festiua loci Virgo cucurrerat
Vt mentis solitæ thura profunderet,
Iosephusque comes Virginis hostiam
Sese protulerat Deo.

Ve-

Verum dum reduces ad propriam domum
Se conferre parant, substitit omnia
Disponente Deo, progenies patris
In fano solymæ sacro.
Inclinata dies merserat in mare
Currum quadrijugum, cum sobolem parens
Quærens solicite non reperit putans
Cognatis comitem fore.
Conquisitus adhuc natus in agmine
Non comparet; opem postulat a Deo
Hinc afflicta parens irreparabilem
Iacturam faciens Dei.
Heu quales gemitus mater amarior
Conturbata dedit? depositum patris
Amisisse dolens, sydera crederet
Inuidisse bonum hoc sibi.
Si concussa gemit terra boatibus
Horrendis, vacuo viscere dum nihil
Ad centrum accelerat, pellit & aërem
Naturæ violans modos.
Hinc compulsa polo pondera saxea
Deturbare throno dum minitant Iouem,
Sic ignem grauitant ruat vt æthere
In iacti lapidis modum.
Terræ parthenicæ fit similis status,
Nam deserta sua prole reducitur
Ad sortem nihili, sic penetrat dolor
Vt rursum pariens gemat.

Matris pia post amissũ Iesum tristitia.

Ira-

Metuit sibi a Patre Virgo. Iratumque sibi nectere fulmina
Credit Virgo patrem, solicitudine
Quod non peruigili deposito poli
Seruando incubuit parens.

Metuit a Spiritu Sancto. Offensum metuit sponsaque spiritum
Quod commissa sibi victima criminum
Aras effugiat, iustitiæ Dei
Expletura auidam sitim.

Qua sufferre potest fronte Seraphicos
Amisso superum principe spiritus?
Metuit ab Angelis & Cælo. Qui Cœli vacuos morte resarciet
In trunco positus thronos.

Quæ Cœlo facies si iubar ætheri
Ablatum fuerit? quas tenebras polus
Non diffundet atras luminis inclyti
Extinctis radijs dolens.

Verum nulla malo ferre remedia
Opportuna potest, mater amabilem
Ni quærat genitum; sufficit hunc amat
Vt vitam genitrix suam.

In cognata ruens agmina quæritat
Almam progeniem; quærit amor suos;
Num vidistis ait quem sua diligit
Totis visceribus parens.

Non reperitur Christus inter cognatos & cur. Qui cognata venit soluere, vel patrem
A primogenito separat, in suis
Quos nectit propria carne parentibus
Iesum non reperit gemens.

Vir-

Virgo macte animo non perit Innocens
Ne mundus pereat, qui ruit arduo
De Cœli solio, perge sacerrimas
Ad sedes solymæ iterum.
Illic pacis erit visio plurima,
Hinc cum nescit amor tarda molimina,
Hæcpa rdo similis persata gressibus
Arreptam accelerat viam.
Vrbem ingressa suum in compita filium
Non quærit solymæ, sed Salomoniam
Vix intrata domum, cum sapientibus
Quæsitum reperit stupens.
Doctorum in medio dogmata Cœlica
Fundebat, vario & lingua disertior
Ornamenta dabat schemate filij.
Doctorum superans choros.
Demum in collarucens oscula filio
Amplexusque dedit mater amabiles,
Cur figenda meo spicula pectori
Misisti genitrix ait?
Afflixisse patrem vulnere duplici,
Et matrem potuit tanta seueritas,
Vt te perdiderim, perdiderim Deum,
Verum perdiderim iubar.
Num nescitis, ait, seruitio mei
Postponenda patris terrea, Virginis
Submissus reliquis ibo potentiæ,
Excepto obsequio patris

Virgo Filiū quærit in templo.

Hinc ætate minus quam sapientia
Vt virgulta solent crescere debuit,
In radice cauum suscipiens statum,
Non crescens alio modo.

B. Salesius quærit Christum. In solyma pacifica in tēplo cordis.

Vt præsentis opem consiliet sibi
Christi perpetuam in corde SALESIVS,
Ad cognata frequens non ruit agmina,
Semper solicitus Dei.

In se pacificam iugiter erigit
Franciscus solymam, fræna leonibus
Irarum injciens, omnia dulcia
Dulcis reddit homodeus.

Si Christo locus est cum sapientibus,
Ad fontem properat sic sapientiæ,
Hic doctor teneris vnguiculis pius,
Vt semper sitiens foret.

Tandem templa Deo pectora præparat,
Inflammata vigens ara perennibus,
Cordis Christiparæ fulgor amoribus,
Sic quærens reperit Deum.

In B. Virginem cum Filio Crucifixam ut dolorum victimam in monte Caluario compassiua teneritudine fertur B. Franciscus Salesius.

Ode XI. Dicolos tetrastrophos.

MOntis Golgothici sæua cacumina
Matris parthenicæ fœta doloribus,
Et nati rubeis plena cruoribus
Qui vult mente reuoluere:
Has obseruet opes Virginei throni,
Quas fundente Deo in viscera filium
Suscepit retinens præmia cœlitum:
Has Christi reuocat pater.
Hinc atque inde piam flumina beatitas
Matrem reddiderat, diuitijs poli
Thesaurisque Dei considerabilem
Supremi ex cumulo boni.
Naturam superans gratia cœlicas
Effundebat opes, vndique riuulis
Dispersis, genitum portat amabilem
Mater Virgineo sinu.
Christo posse frui sufficit, & Deus
In mentis gremio conditus ex suo
Omnem explere potest fonte cupidinem,
Hinc solum satiabilem.

A contrario sensu sumitur argumentum & ex fœlicitate Natiuitatis Christi colligitur morientis miseria.

Summi delitias flaminis impetus
Exundans dederat factus amabilis
Sponsus Christiparæ, tarda molimina
Ignorat cumulans suos.
Qui Cœlum digito sustinet & facit
Æternus genitor, summa potentiæ
Ostendit teneræ brachia filiæ,
Exornans thalamum Dei.
Sic adiuncta sacris cœlicolum choris
Viuebat geniti lumine fulgida,
Atque accensa flagrans ignibus ætheris
Virgo plena fauoribus.
Ast cum cuncta suis temporibus fluant,
Coniurata poli curia cum solo,
In Christum vt scelerum detonat hostiam
Matrem & cum genito ferit.
Dolorum pondere obruitur Maria.
Ascendens genitrix Golgothici iugi
Calcato sobolis sanguine verticem,
Vt mirrhæ rigidum fasciculum metat,
Afflictam dolor obruit.
Contemplata suam progeniem cruce
Oppressam varijs lapsibus ad solum
Prosterni, madidum sanguine filij
Qualis tristitiæ mucro!
Texta parthenicis ex manibus toga
Exutus renouat vulnera verberum,
Hinc exuta gemit lætitiæ stola,
Et totam dolor occupat.

Quan-

Quando aptata cruci victima tenditur,
Et prostrata manu cum pedibus cruci
Hinc atque inde datis figitur arbori,
Et transfixa gemit parens.
Qualis corda ferit barbaries, pia
Quando fossa manus verbere tunditur,
Hinc confossa parens malleoli sonis
Excessus scelerum luit.
Suffragante teris supplicijs patre,
Et clamante polo percute percute,
Quo se vertat amans! qualia viscera
Dum carnem lacerant Dei.
Non exausta sitis dira rebellium
Quamuis terra natet tincta cruoribus,
Princeps cœlicolum fixus in arbore
Plantatur tremulo solo.
Hinc concussa fremit terrea machina,
Et commota tremunt viscera Virginis,
Quando cuncta madent sanguinis imbribus
Excussis iterum poris.
Non imbres alij, stilla leuaminis
Matri nulla fuit, cum similis iugis
Extat Gelboicis fulminibus poli
Tunc exposta gemit parens.
Ad quem confugiet mæstitiæ graue
Excussura iugum? Conditor ætheris
Contorquens manibus fulmina filio
Vt turbo tonat ætheri.

Deseritur cum Filio mater Parthenica nullo recreata solatio.

Na-

Natum deseruit sic genitor piumque
Vt surdus solito rore leuaminis
Ipsum destituat, quas genitrix ferat
Irato in sobolem preces?
Si natum aspiciat sanguine sordidum,
Leproso similem comperiet cruci,
Ornatumque suo pro diademate
Horrendis tribulis caput?
Si lucis solitum subsidium petat
Sacram progeniem fuscat opacitas,
Sic præter tenebras nil sibi colligit
Infelix genitrix Dei.
Sed quod barbariem non tolerabilem
Addit, Virgineæ dotis amabiles
Tollunt diuitias, tollitur & Deus
Omni cum violentia.
Si maternus amor non perit, attamen
Sic materna gemit maxima dignitas,
Vt Christi genitrix transeat à Deo,
Vt fiat famuli parens.
Nam sic voce potens filius extitit
Vt mutans volens subdita, protinus
Sint mutata, meri pocula limpidis
Vndis dum loquitur fluunt.
Effectiua Dei verba potentiæ
Cum dent signa pius discipulus fuit
Verus Christiparæ filius, optimo
Dicente en mulier tuus.

Qua-

Qualis turbo sacris detonat auribus!
Aut qualis gladius viscera percutit!
Dum materna cruci lancea figitur,
Et fixa in nihilum redit.
O mortalis homo cincta furoribus
Dum materna fremunt viscera, gaudijs
Viuens ad tumulum plenus inanibus,
Offendis miseram tuis.
Dum mortalis homo corda SALESIVS
Compassiua gerit spicula, sæpius
Transfigit tenero fellea pectori
Matri commoriens piæ
Non dextræ genitum sed Benonem parens
Hæc afflicta parit montis acumini,
Totum sanguineum & Virgo Salesium
Effundit crucibus datum.

Compassiua gerit corda B. Virgini afflictæ Salesius & sit filius dolorum.

Mors Beatissimæ Virginis suauissima B. Franciscum in osculo Domini morientem consolatur.

Ode XII. Tricolos tetrastrophos.

QVamuis cruenta cuspide sæuiat
Nullique parcens mors pedibus terat
Inuicta bellatrix coronas,
Barbariem superans ferarum,

Non-

Nonnunquam amoris spicula lancinat,
Atque efferatæ frœna potentiæ
Inducit, & falcem relinquens
Blanditijs peritura lactat.

Quandoque eadem mors & amor domo
Dormisse fertur, dumque recederent
Mutasse romphæas vicissim,
Deposita feritate mortis.

Bene conuenerunt mors & amor & in vna, Sede commorata sunt in B. Virginis obitu.

Antiqua lapsi est fabula temporis,
Sed veritatis dogma e creditur
Languente quod Christi parente
Mors & amor simul adiuerunt.

Mors Innocentem non perimet, tamen
Patrona mundi deperit arbitrum
Cœlestis aulæ sic videndum,
Vt lateat nihil hanc videntem.

Hostilitatis ne iaculum ferat
In blandientis tela cupidinis
Irrumpit, & solui volentem
Carceribus libichina lædit.

Moritur amoris sagittis percussa Virgo.

Sic charitatis vulnere saucia
de vulnerati cordis amabiles
Emittit in Cœlum Loquelas
Solicitans moribunda Sponsum:

Sansonis Aenigma solutum in morte Mariæ. Iudic. 14.

Sic de Leonis fauce teterrima,
Mellita sponsæ pocula Languidæ
Implentur, & grypho soluto
De comedente cibus paratur,

Sti-

Stipendiosi criminis haud rea
Inseparato gaudet amasio,
Nulloque possesso priuatur
Sacrificans dat at ipsa vitam.
Sentit seuerum mortis aculeum,
Portatque primi crimina verticis
Gens cuncta quæ suxit venenum
Lethiferum sceleris patrati.
De virulento flumine riuuli
Contagiosam percipiunt luem;
Et morte mulctatum nefanda
Progenies sequitur parentem.
Infecta radix arboris ad suam
Ramusculorum luxuriem vehit,
Corruptionis purulentam
Illuuiem, vitiatque totam
Patrona Cœli de veteris nihil
Contraxit Adæ crimine; sed Dei
Præuenta sublimi fauore
Concipitur sine labe mundi.
Hæc virginalem fulmina lauream
Insulphurata cuspide non valent
Mulctare, sed morti propinqua
Lætitiam manifestat omnem.
Non separauit matris amabiles
Mors eminentis delitias, Deo
Quas adiuuante in corde habeat
Diuitijs cumulata celsis.

Cum Maria non peccauerit in Adam mors illi non potuit esse amara.

De virginali corpore cœlicis
Ornanda palmis egreditur cito
Mens pura, confestim relictum
Hospitium reditura primum.

Materia corporis Virginei suam formam sūmopere appetebat.

Sic forma puram materiem diu
Non derelictis reddet inhospitam
Membris, sed augustum resurget
Ex tumuli statione templum.
Si separantur corpore Apostoli,
Ques congregauit spiritus, vltima
Languentis in lecto parentis
Excipiant vt amoris acta.
Non segregantur mente, sed optimam
Partem eligentem mentis acumine
Migrantis ad Cœlum sequntur
Stelliferas animæ coronas.
Tanto vnionis glutine iungitur
Hæc sponsa sponso, progenies patri,

Forma Dei appellatur Maria ab August.

Mater Theandro, Virgo Christo
Forma Dei vt videatur almi.
Nullo priuatur lumine transiens
Ad celsiorem lucis originem,
Et membra confestim sepulta
De tumuli tenebris resurgent.
Et nulla vitæ ponitur orbitas
In fonte viuo, qui saliens dedit
In celsa primæuum Theandro,
Principium vegetantis auræ.

Ast

Aſt alma mater terrea deſerens,
Se virginalem protulit hoſtiam,
Et facta ſupremo ſacerdos
Sacrificat ſua membra Chriſto.
Maternitatis vita theandricæ
Mactata ſummo vt victima numini
Fit grata; quin nulla in creatis
Gratior eſſe queat Theandro:
Accepta ſponſo ſpiritui nitet,
Qua nulla maior cœlica ſanctitas,
Sic læta de lecto recedit
Ad tumulum ſimilem triumphis.
Exemplar iſtud propoſitum pios
In fine curſus pungit amaſios,
Vt mortis horrendæ cypreſſi
Perpetuas generent coronas.
Præſagienti hinc mente SALESIVS
Vicina mortis ſpicula ſentiens,
Optabat in Chriſto manere
In cineres cupiens reſolui.
Vt denegatam martyrij crucem
Ardentioris flamine ſpiritus,
Mutaret in morbi dolores
Sacrificans ſuperis ſeipſum.
Legis antiquæ lator in oſculo
Summi Tonantis vincula corporis
Exoluit, & lætus cauernas
Ingreditur tenebraſque lymbi.

Mortem Deo obtulit Mariatq̃uã victimam.

Mors B. Franc. Saleſio iucunda.

Franciscus alto proximusætheri
In dulciores lætitia affluens
Incumbit amplexus; Maria
Parthenicum famulum vocante.

Amoris coronas in assumptione Deiparæ deperit B. Franciscus Salesius in eis suæ spei flammas accendens.

Ode XIII. Dicolos tetrastrophos.

NOn semper seritur, gramina Colligit
Opportunâ suo tempore qui metit
Non semper glacies flumina corripit,
Vernis temporibus fluunt.
Non Bellona ferox classica personat,
Nec stringit gladij semper acumina,
Succedunt viridi fœdera laureæ,
Armorum & strepitus perit.
Cordi perstat amor iugiter, haud vices
Alternas patitur, cum fidei faces
Viso dispereant numine, spes. Deo
Possesso in nihilum ruat.
Non mutat speciem flammea Charitas,
Augetur species, & decor ardua
Dum pertingit amor terreus æthera
Immutans subito statum.

Quam

Quam crudele docet dogma vel impium;
Qui dixit quod amor numinis in viros
Nunquam ardere potest, cum similis Deo
Non sit vilis homuncio.
Non possint mutuæ munera gratiæ
Alternis vicibus velle rependere,
Cum nil communicent terrea cœlicis,
Ex hinc nullus amor liget.
Verum celsus amor sydera deserens
Descendit similis factus hypostasis
Adducens geminæ stricta ligamina
Naturæ, vt sit homo Deus.
Dat natura Dei cuncta charismata,
Dat natura hominis quicquid habet suum,
Exceptis tenebris ingenij praui,
Et dempta sceleris lue.
Hoc assumpta probat Virgo Theandrica;
Quando innixa suo tendit amasio
Mens vnita sacro sydera corpori,
Plaudenre & modulis polo.
Surgens Angelicis cincta phalangibus
Intacto tumulo fertur in aëra,
Atque ingressa polum cœlicolum cohors
Certatim ruit obuiam.
Hinc maternus amor postulat oscula,
Hinc diuinus amor munera præparat
Inconcussa, tronum cum diademate
Mira conspicuum face.

Tres amoris conditiones.
1. Quod sit inter similes.
2. Quod sit inter beneuolos.
3. Quod sit familiaritatis conuersatio.

Or-

Maria assũpta quandã cum Patre sortitur similitudinem.

Ornamenta Deus contulit omnia,
Vt riuus similis sic fluuio fluat,
Expressamque Dei mater imaginem
Annis perpetuis gerat.
Hinc neruosa Pater brachia contulit
Excelsamque manum cunctipotentiæ,
Vt Regina poli nulla repagula
Cunctis comperiat locis.
Submisere greges Angelici sua
Sic vexilla sibi, nullus vt audeat
Matris parthenicæ signa relinquere
Exturmis superum pijs.
Summi Pontifices clauibus ætheris
Submissis reserant celsa palatia,
Prostrati & pedibus Virginis inclytos
Dispendunt populis cibos.
Certatimque duces ad solium piæ
Pugnatricis opes lauream & omnia,
Et se subijciunt, sic dominam poli
Agnoscunt, simul & soli.

Assimilatur Filio in sapientia.

Exornat soboles lumine Virginem,
In tantumque suam de sapientiæ,
Puris fluminibus potat amasiam,
Vt reddat similem sibi.

Et Spiritui Sancto in amore.

Interno sterilis pectore numinis
Reddens se exterius communicabilem
Tantas fundit opes, tanta charismata,
Exhaustum vt puteum putes.

Sic

Sic ignescit amor Virginis intimo
In corde, vt glacies fixa seraphicis
Cernatur veluti mentibus, & faces
Collatæ gelidæ forent.
Vt flammescat amor dona reciprocis
Compensabit amans muneribus sui
Donatoris opes; hoc genitrix dedit
Præstante auxilium Deo.
Fudit Virgo Deum de proprio sinu,
Æternique patris protulit vnicum
Hunc terræ genitrix, quem genitor polo
Effundit similis patri.
Quod summus generet summa necessitas:
Quod mater generet summa benignitas:
Quod natura polo, gratia terreis
Accendit meritas faces.
Hinc assumpta parens diuitijs Dei
Inuestita fuit, gratia, gloria,
Et natura, Deus, vel sacra Trinitas
Dotem in perpetuam data.
Sic testatur amans sponsus amasiæ,
Quod comburit amor viscera, flammeos
Et dilecta rogos ignibus additis
Incendit, videt, ac amat.
Conuersatur amor denique, vel suas
Conseruare faces non aliter potest,
Sic cordis mutui nexus amabilis
Compagem solidam ligat.

Inter Deum & Mariam dona mutua Maria dat mundo Deũ visibilem &c.

Deus dat omnia B. Virgini.

Vox

Vox audita fuit turturis in polo;
Si ſemper loquitur vulnere filius,
Et cauſas hominum tractat in intimo
Excuſans gremio patris.

Eſt amoroſa inter Deũ & Mariam conuerſatio.

Virgo aſſumpta ſuis vberibus loquens
Reddit pacificum fulminibus grauem,
Si ſermone Deum placat in impijs,
Quid ſermone facit pijs?
Quæ ſermone pio dona SALESIO
Non effundit amans Virgo? quid æthere
Et tellure potens non faciet ſuo
Cultori eximio parens?
Spe lactatus amor deperit ad ſuum
Tendens principium, morte repagula
Confringens animo bullit, & æſtuat,
Chriſtumque aſſimilat ſibi.

B. Franciſcus Saleſius conditionibus amoris gaudet.

Franciſcus ſali⁹ donat in hoſtiam
Chriſto, perpetuam, ſed recipit Deum
Et ſermone potens mira clientibus,
Poſt fatum loquitur ſuis.

HO-

HORATII CHRISTIANI TRIVMPHVS III.

Myſticus Pro Canonizatione B. FRANCISCI SALESII GENEVENSIS EPISCOPI.

Charitate conſumatur verſus amantiſſimam Chriſti ſponſam Eccleſiam ex æmulatione meliorum Chariſmatum feruentioribus Charitate ſanctis tum primitiuæ, tum modernæ Eccleſiæ & præcipue tribus Franciſcis Aſſiſinati Paulano & Xauerio conceſſorum.

Gemitus Columbæ ſeu planctus Eccleſiæ in Perſecutionibus ſuorum filiorum lenitur a B. Franciſco Saleſio.

Ode I. Tricolos tetraſtrophos.

Vix prima phœbi lumina blandulis
Luxere ocellis, vixque crepundijs
Educta, crudelem potentum
Barbariem gemebunda ſenſi.

Prima sponsa Christi persecutio ab Herode cuius esse porcum satius erat quam filiū & dicebat Augustus

Iudæa palmis inclyta vix satum
Florem pruinis coxit, & aëris
Primæua spirantem flabella
Surripuit truciore dextra.
Infame monstrum de styge proditum,
Cui fœda natis est hara dignior,
Sponso ad papillas insidenti
Insidias iuueni tetendit.
Quod tentat atrox arbiter, & necis
Et vitæ inani solicitudine,

Pharisei Christum persequūtur.

Hoc sæuus in trunco patrauit
Falsiloquo pharisæus ore.
Sed læta surgo mensque renascitur,
Dum nigra linquit Regna proserpinæ,
Visisque squallorem trophæis
Deposui sociata palmis.
Heu quanta venis gaudia difluunt
Cum fit secunda flaminis alite,
Fœcundiore ex ventre solis
Progenies numeranda Diuis.

Gaudium sponsæ Christi in filiorum multitudine.

Non tot sereno lampadas æthere
Orbis reuoluit, non tot arenulas
Dispergit iratus per auras
Occeanus rugiente vento.
Quot chara surgunt pignora fertiles
Pressura mammas; qua libicæ furit
Flammata telluri quadriga
Igniuomis animata tædis.

Et qua rigenti vertice caucasus
Spectat colonos, quaque per indicos
Sol mittit ardores benignos
Antipodas meliore curru.
Sic regna toto Christiadum solo
Firmata, sacro sic diademate
Ornata, gemmatis per orbem
Insiliens rutilo quadrigis.
At Roma celsi numinis inscia
Liuore claris tabifico tumens,
Assueta currentem triumphis
Corripuit positura frænum.
Qui cæde matris fœdus inhospitas
Crudelitati disposuit vias,
Sponsam Theandri me cruenta
Barbarie trucidare tentat.
Incendiorum crimina dum luunt
Succensa flammis pignora, dum cruces,
Taurosque natorum corona
Sustinuit solidante cœlo.
Dein flauiorum sanguineis natant
Gnati in lacunis, hos gladius rapit;
Illos catastæ sæuientes;
Dolius hos oleo repletus.
Traianus artes has sequitur truces,
Hæc virulenti non pia cæsares
Sectantur, alternam vicissim
Barbariem solio serentes.

Romani Principes Ecclesiam persequuntur.

Nero primam excitat persecutionem.

Insita thronis Cæsarũ videbatur crudelitas.

 Quis

Quis nostra tetris exta doloribus
Exempta credat? quis vacuas putet
Noctu diuque in filiorum
Imbre genas necibus meorum?
Secura nato celsa beatitas
Euiscerato ni pretium foret
Pugnantis æternos in annos,
Exanimis penitus iacerem.
Sed quod doloris lenit acumina,
Tot sydera astris quot gladio cadunt
Adduntur, & germen cruoris
Centuplicat fidei colonos.
Heu quot supremo schismata flamini!
Heu quot thiaris insidias parant,
Hos sede mulctatos vacante
Exilio gemuisse vidi.

Francorum principum in Ecclesiâ magnificentia.

Sed me supinam Francia cœlicis
Erexit astris vindice fulmine,
Amplisque nudatam repleuit
Liligera pietate feudis.
Illic pipini dona potentiam
Auxere, Magni munera Caroli
Per sæcla me reddunt futura
Hostibus intrepidam malignis.
Sic pace firma moribus absonis
Impono frænum, Concilijs fidem
Confirmo; sic totum per orbem
Progenies numerosa crescit.

Ere-

Erecta summo templa cacumine
Celsi propinquant culminibus poli,
Agnique viuentis fragranti
Thure calet genialis ara.
Illuc ministrûm turma per ordinem
Alterna sacris cantica pulpitis
Ex ore depromit canoro,
Et fidibus modulos maritat.
Deuota Christo pectora cœlicis
Totum per orbem vocibus intonant,
Laudesque nocturnas diurnis
Peruigili sociant camæna.
Sic aucta, sæuis ausibus hostium
Non exterorum barbariem tuli;
Nam monstra prorumpunt baratro
Horrificum vomitura tabum.
Materna rumpunt viscera, sanguinem
Pro lacte sugunt, pestifera lue
Per membra grassantur sacrata,
Non gemino reparanda sæclo.
Hic Marcionis dogmata fœtidos
Spirant vapores: sic ferus Ebion:
Arius hic putrem latrinis
Percrepuit positurus aluum.
Lernæa dicas monstra resurgere
Quot fulminanti fracta anathemate,
Tot pullulantis de barathri
Seminibus redijsse credas.

Ecclesiæ Ministrorum in erectis templis maiestas.

Persecutio hæreticorũ contra Ecclesiam propriam matrem crudelior.

Peio-

Peiora surgunt vltima sæcula,
Cum virulenta quam iaciunt lue
Caluinus adiunctus Luthero.
Sollicitant duo monstra bellum.

Lutheri & Caluini persecutio crudelissima.

Hinc bella rauco murmure dum fremunt,
Deuota summo cantica numini
Vertuntur in luctum, & cruento
Milite templa cadunt furente.

Innata monstris barbaries sacris
Miscet prophana, & fletibus omnia
Sparguntur, armatos vbique
Agglomerant animante præda.

Sacratá frendent claustra satellite,
Vocalis horror personat vndique,
Conculcat infamis sacerdos
Quod venerans celebrarat aris.

Polluta languet sancta pudicitas
Astricta claustris Virginis innubæ,
Passisque raptatur capillis
Connubium subitura fœdum.

Mitigatur dolor Ecclesiæ ab acerrimo illius defensore B. Franc. Salesio.

Ni desolatæ matris amabilis
Afflicta miro corda SALESIVS
Sermone lenisset Geneuæ,
Insiliens gemitus dedissem,

Tot monstra sacro dogmate lenijt,
Tot deuiantes compulit in viam
Cœlestis aulæ, quod dolorem
Abstulerit faciatque lætam.

Red-

Reddit tabellis vmbra micantibus
Mirum nitorem, ſic tenebræ diem
Iucundiorem dant, maliſque
Dogmatibus bona grana creſcunt.

B. Petri Apoſtoli pænitentis amoroſæ Lacrymæ Sponſam delectant & eas æmulatur B. Pontifex Saleſius.

Ode II: Dicolos tetraſtrophos.

INdignas ſolio qui lachrymas canunt,
Et demiſſi animi ſigna patentia.
Reges magnanimos conuitijs notant,
Dauidem & lacerant pium.
Quis Chriſtum timidum dixerit, imbribus
Dum terrena lauat deciduis, gerens
Compaſſiua ſuis pectora filijs
Cõdemnans gemitus Dei?
Aut quis clauigero fletibus inclyto
Inſultare velit, dum ſua riuulis
Rorat continuis ora madentia?
Cum gemmas potius ferat.
Abijeciſſe animum Petre putauerim
Te, quando pauido corde negaueras
Te Chriſti faciem noſſe theandricam,
Seruam Pontificis timens.

Plato condemnauit lachrymas in hominibus generoſis.

Petrus animum degenerem oſtendit non in fletuum effuſione ſed in magiſtri negatione.

Heu

Heu quales lachrymas, quos gemitus dedit
Christi sponsa videns clauigerum poli,
Procurasse sibi sulphuream stygis,
Si non pœniteat domum!

Lachrymæ Petri Ecclesiam lætificant.

Sed quam læta fuit sponsus amabili
Dum vultus radio pectora saxea
Emolliuit, aquas eliciens petra
Quæ vinum superat merum.
Heu quam dulce fuit vulnus in intimo
Cordis clauigeri sic meditullio
Inflictum, fluuij sanguinis vt pijs
Vbertim ex oculis fluant.

Oculi Christi potentiores ipsius sanguine ex Ambros.

Diuinis oculis tanta benignitas
Est affixa rei corda trahentibus,
Vt non sanguis opem promptius afferat
Effusus miseris suam.
Imo vultus opem certius attulit:
Sanguis pro populis funditur omnibus,
Non omnes populi syderis attamen
Attingunt meritum scopum.
Hinc blasphemus opem clauiger accipit,
Quam non sæuus habet proditor, & duo
Offendere simul; sed perit impius
Qui Christum pretio dedit.
At conuersus auis dum cecinit Petrus
Recte pœnituit, proditor at male:
Cum fusus fuerit pro geminis cruor
At non sors similis fuit.

Iu-

Iudam pœnituit post facinus prauum;
Ast siccis oculis crimina respicit:
De torrente bibit vel lachrymas Petrus
Commissum scelus eluens.
Desperata putat per Deicidium
Non posse vlterius corda resurgere,
In se barbariem sæuus Apostolus
Exercens medius crepat:
Importuna sibi crimina clauiger
Mergit continuis fletibus, & sitim
Explet iustitiæ, fulmina conterens
Quassitura caput sibi.
Succedunt fluuijs flumina gratiæ,
Ornamenta caput perdita flaminem
Supremum decorant, clauiger ætheris
Claudit vel reserat polum.
Nam laxante Petro, nulla seraphicis
Mens excelsa potest orta phalangibus
Valuas æthereas claudere flentibus
Admissi sceleris luem.
Et claudente Petro quis referet polos?
Non ipse omnipotens, qui iubet omnia
Submitti solio magnifico Petri,
Soluens quæ reserat solo.
Nam quodcunque Petrus soluit in infimis
Terræ ponderibus, soluit in æthere
Summus stelliferi syderis arbiter,
Auscultatque Petrum Deus.

Petrus post delictum lachrymas fudit non Iudas.

Lachryma Petro restituerunt perdita charismata:

Petri potestas summa in traditione clauium:

Quodcunq; Petrus soluit in terra soluitur in cælo:

Et quæcunque ligat clauiger in throno
Terrestri, solio sydereo ligat
Christus, cuncta probans facta Vicarij,
Ipsi in iudicio fauens.

O lachrymæ Christi vicaria ponẽs contra peccatum Remedium exclamat Aust.

Quam pulchre lachrimas esse vicarias
Augustinus ait Golgothicæ crucis,
Peccatisque statim terre remedia,
Quæ saluos faciant reos.
Hinc in monte Thabor nectare cœlico
Exundante Petro non fuit optimum.
Pernoctare diu, sanguinei iugi
Ascensus melior fuit.
Dum fundebat opes sanguinis in Cruce
Christus multiplices, in lachrymas Petrus
Effusus lacero corde Vicarium
Exercebat opus Dei.

Lachrymæ vinum Angelorum ex Bern.

Depasturus oues pabula præparat,
Et vinum Angelicum fundit, vt omnibus
Ad caulam populis aduenientibus
Sic non deficiat cibus.
Tandem de lachrymis ora rigantibus
Optatam obtinuit martyrij crucem,
Inuerso in Cœlum vertice lauream.
Attentis oculis videns.
Antiquum stimulat palma Themistoclem.
Factis Miltiadi tradita publicis,
Nec dormire finit donec ad æmuli
Accedat facinus graue.

Sic

Sic Franciscus auens summa charismata
Acquisita Petro fletibus, æmulum
Quamuis criminibus liber ab omnibus
Sese constituit Petri.
Consumptis lachrymis cæsar inanibus
Ductoris Marcedûm spectat imaginem,
Quod victrice manu cuncta subegerit
Autiquos superans duces.
Merguntur fluuijs ora SALESII
Dum percussa Petri pectora respicit,
Plangentis lachrymas æmulus obtinet,
Et Christum subigit sibi.
Sponsam lætificat fletibus, & sui
Dat feruoris amans, signa vaporibus
Cordis continuis, cœlicolum domum
Suspirans, potius Deum.

B. Franc. Salesius Petrũ quamuis innocens imitatur in lachrymis:

Gratiæ triumphantis trophæum nobile In Conuersione Doctorem gentium omnibus omnia factum, B. Franciscus Salesius sæpe respicit & omnibus omnia fiat.

Ode III. Dicolos tetra strophos.

NObiles palmas, viridesque lauros
Gratiæ quisquis memori Camæna,
Pollice & docto celebrare tentas
Respice Paulum.

Barbarus quondam Pharisæus omnem
Seminis sacri gladio metendam
Senserat messem, trucidanda quærens
Agmina Christi.

Sauli in primos Christianos crudelitas.

Sæuior currit libico Leone
Deuorans prædam minitans cruentam
Omnibus mortem, nisi sumpta Christi
Signa relinquant.

Sanguinem spirans properat Damascum,
Militum densa comitante turma,
Vt gregem mactet, laceret Theandri
Dente feroci.

Pastor at sacro vigilans ouili,
Excubat cœlo miseratus alto,
Et lupi sæuam rabiem retundens
Fulmina nectit.

Prostratus Paulus prope Damascũ conuertitur

Concutit nubes subito fragore,
Cingitur lucis radijs repente,
Cornipes spumans pedibus leuatis
sternit euntem.

Territus vocem resonantis audit,
Saule quid stricto gladio Theandrum
Cœdere attentas iugulum petendo,
Arma repone.

Sed quis es inquit, tremefactus? vnde
Aduenis nobis radio coruscans?
Quisquis es spreti Domini seueram
Sentio dextram.

Ille

Ille ego Iesus proprio cruore,
Stipiti fixus populis salutem
Qui tuli, quem tu perimis secundo
Ense rebelli.

Ego sum Iesus quem tu persequeris: act. 9.

Calcitras contra stimulum refixum
Pectori duro, rabiem luporum
Cordis arcano positam relinque
Saule repente.

Ex lupo factus Domini loquelis
Agnus, ardente studio iubentis
Fletibus fusis animo remisso
Verba capescit.

Iusseris cunctam peragrare terram,
Dixeris montes subito Riphæos
Scandere, & salsum penetrare littus
Promptus adibo.

Domine quid me vis facere act. 9.

Qualis est pugnæ modus hic tonantis?
Dum ferum pectus tonitru supinum
Reddit, & squammas oculis retendit
Lumine dempto.

Erigit mentis miseræ cacumen
Cœlicos clausis radios ocellis
Imprimit, sacram feriens medelam
Ictibus adfert.

Iubilat Paulus domitus seuero
Quamuis attritu resupinus, optans
Baiulum tradi ut manibus trahatur
Inde Damascum.

Gaudet Saulus prostratus.

En-

Ensis accinctus femori potentis.
Quo voluntates superat rebelles
Est decor vultus, species serenæ
Frontis amicæ.

Gratia triũphat trabẽs rebelles per speciem, & decorem.

Hinc triumphantem Domini quadrigam
Millibus denis decies sequntur
Millia exultantum & manibus solutis
Serta ferebant.

Cœsarum currus miseri lauabant
Fletibus tergo manibus reuinctis,
Sub iugo ducti rigidis gementes
Colla cathenis.

Gratia Paulus celebres triumphos
Sensit, & saxo stigiæ reuulso
Hæresis, dulcem salientis vndæ
Hausit amorem.

Gratia in omnibus Paulum comitatur siue ad tertiũ cœlum rapiatur siue in peregrinationibus.

Gratiæ cœlum comitatus altum
Scandit, æterni sobolem parentis
Mente conceptam radio perenni
Cernit oriri.

Gratia puris manibus leuatus
Prospicit fluxus refluos amoris
Impetu ferri, fluat vnde cœlo
Spiritus almus.

Gratiæ dextra superum cohortes
Vidit astantes, medias, supremas,
Infimas omnes humiles Tonantis
Esse ministros.

Gra·

Gratia totum penetrauit orbem.
Fustibus cæsus, lapidatus, vndæ
Fluctibus mersus, tenebris, cathenis
Carcere vinctus.
Inclytum coram populis, tyrannis,
Regibus nomen gerit, & Theandri
Vulnerum pompas crucis, & dolorum
Signa triumphans.
Motuum carnis stimulos rebelles
Gratia frenat, lacerat cruentum
Corpus armatis tribulo flagellis.
Victima mortis.
Semine ex verbi generat puellos
Parturit, lactans aperit mamillas,
Omnibus Iesum populis ministrat
Omnia factus.
Gratia fretus domuit tyrannos,
Dum caput truncat gladio satelles.
Fac dedit, fontis saliens fluenta.
Trina refudit.
Hunc typum crebro meditans SALESVS
Matris & munus simul & paternum
Exhibet, cunctis epulas ministrans.
Omnia factus.
Nectar hinc lactis pueris propinans,
Pabulo fortes solido cibauit,
Gratia cunctos recreat recepta.
Omnibus vnus.

Ex gratiâ Paulus castigat corpus suum & in seruitutem redigit.

Insignis Aemulator Pauli charismatum B. fuit Salesius:

Con-

Concinit Paulo cupiens resolui,
Esse cum Christo, pedibus lapillos
Conterit, gemmas reputans & aurum
Stercus equinum.
Separet quis nos ab amore Christi?
Vita, mors, clamat gladius, phalanges
Ætheris, nil nos solido reuinctos
Glutine soluit?

Triumphantem de Deo Magdalenæ Philothea Amorem Aemulatur Theothimus Salesius & innocens pænitentem sequi non dedignatur.

Ode IV. Tricolos tetrastrophos.

QVod celsa crebris sydera motibus
Fœcunditatem dent cereri suam
Miraculosum non putatur,
Cum soleant superi fauere.
Ast terra fluxus si tribuens polo
Fœcundiores reddat olympicos
Afflante diuino recessus
Auxilio fuerit stupendum.
Effusa rorat dum lachrymis pedes
De pœnitenti corde theandricos
Magdala, terrenis inundat
Cœlicolum Dominum fluentis.

Terra influit in cælum teste Greg; Nyssen.cũ Magdalena rigat pedes Christi suis lachrymis;

De-

Defæuientem iustitiæ manum,
Et fulgurantem fulmina flumine
Mutauit in rorem benignum,
Cunctifragum tonitru resoluens.
Miraculorum non numero feras,
Quod fœminarum sæpe ferocium
De laureatis vel triumphet
Principibus generosa virtus.
Exterminauit Debora Sisaram,
Cyri triumphos sic Tomyris stetit,
Vt sceptra Regnantis tyranni
Eripiat, iuguletque victum.
Sed quod peritum fœmina bellicis
Vincat Theandrum fortibus, hoc nouum
Non vsitatum, vel stupendum
Quod mulier superet cadendo.
Saulum supinum gratia reddidit
Victoris ictus quod subeant viri
Pugnante mortales Theandro,
Nullus homo poterit stupere.
Verum potentem fœmina debilis,
Nec non volentem vincit amoribus,
Conuiuiorum tempus inter
Insidias lachrymis tetendit.
Dilectionis passio cernitur
Affectuosæ dum tria prodeunt;
Quod quærat obiectum philander,
Quod lachrymas sine lege fundat.

Quod fæminæ de viris triumphent non est insuetum.

Sed quod fæmina de Christo triũphet stupendum;

Affectuosæ dilectionis tria signa. 1. Quod amans quærat obiectũ amatum

2 Quod non inueniendo in lacbrymas erumpat. Et quod seueræ mortis aculeum
Constantiori pectore sentiat,
Hæc cuncta dilecto theandro
Intrepide philothæa præstat.
3: Quod pro amato paratus sit mori; Quæsita primum cordis in intimo
Per gratiarum subsidium suum
Perquirit in vicis amantem
Solicitis oculis tuendo.
Per ciuitatis compita cursitat,
Lustrat plateas, quærit ab obuijs,
Frustrata quæsito benignum
Alloquitur tacite Theandrum.
Magdalena sollicite Christū amatum quærit; O qui secretis cordis amoribus
De mundiali puluere sordidis,
Excelsiorem non merenti
Das animo miseræ medelam.
Ostende tectum promptius indica,
In quo recumbant membra palatio,
Quis sit ciborum lautiorum
Christe locus iubaris diurni?
Instructa sacro pneumate cœlitus
Accensa flammis pectora sentiens,
In tecta Doctoris leprosi
Ingreditur, reperitque sponsum.
Prostrata sacris se pedibus ligans,
Ex vulnerato pectore lancinat
Afflicta singultus amaros,
Ne fugiat tenet, & ligatum.
Tor-

Torrentis instar ſtagnat amabiles
Effuſa Chriſti de lachrymis pedes,
Et tergit auratis capillis
His laqueis domitura ſponſum.
Pigmenta fumant piſtica balſamo
Adiuncta mæſti cordis odoribus,
Plus gaudet effuſis Theander,
Quam dũ Arabũ thymiama fundit.
His vulneratum vincit amaſium,
His colligatum crinibus ad ſuam
Cogit triumphantem quadrigam
Pone ſequi Philothea victrix.
Hinc vulneratur victa reciprocis
Magdala victi cordis amoribus,
Langueſcit, & viuens amanti
Commoritur ſociata Chriſto.
Hinc mæſta quærens in tumulo pium
Poſt paſſionem delitium poli,
Et non repertum tot dolores,
Et lachrymas manifeſtat in ſe.
Quin Angelorum turma leuaminis
Latura ſtillam triſtitiam increpat,
Cur gaudiorum publicorum
Principiũm gemebunda turbat.
Cordis tulerunt gaudia mortuum
Qui vita, fatur, pectoris intima
Me diligebat, quo iubente
Me ſcelerum tumulus reliquit.

Effundit vbertim lachrymas & pedes Chriſti rigat.

Moritur in ſe vt in Chriſto viuat.

Poſt Reſurrectionem Chriſti Magdalena omnia amoris ſigna demonſtrauit.

X 2 Quid

Quid plura Christum quærit, & impias
Inter cateruas anxia militum,
Quorum furori se immolandam
Ni Dominum inueniat reliquit.
Perplexitatem tollit Amasius,
Atque hortulani visitur in modum,
Lactatque mærentem loquelis
Sic lachrymis iterum triumphat.
Excelsa posthæc montis acumina
Conscendit astris proxima, quæreret
Vt sic theandrum, vel rigaret
Continuis lachrymis seipsam.

B. Franc: Salesius Christum quæsiuit ardenter lachrymatus & frequenter pro Christo mori suspirauit;

Illæsa quamuis corda SALESIVS
Seruarit omni & crimine libera,
Quærebat ardentes Theandri
Accubitus lachrymis rigando.
In mortuorum se numero putans
Mactat cruentis corpus aculeis,
Et viuit in Christi reponens
Spem tribulis Theotimus omnem.
Securiorem dans populis viam,
Vt Christianis moribus imbuat,
Ac sponsa perquirat Philandrum
Tradit ei Philothea nomen.
Materna Christus viscera cum ferat
Dilectionis sponsa reciprocos
Suspirat amplexus mariti,
Sic animus Theotimus extat.

Agnel-

Agnelli mansuetudinem Bonus Pastor Salesius In B. Agnetis amantissimæ Christi sponsæ martyrio eiusdem auidissimus æmulatur.

Ode V: Dicolos tetrastrophos.

QVi mactata Dei censeat agmina,
Horrendasque cruces cernat amantibus
Cœlo dispositas, odia crederet
Vltricemque Dei manum.
Verum busta, rotæ, dolia flammea,
Ardentesque crates prouida dexteræ
Argumenta notant numinis in suos,
Castigat quos amat Deus.
Sic frumenta nitent verbere plurimo,
Sic expressa fluunt musta rubentia,
Sic lucens adamas non sine malleo
Emittit radios polo.
Hinc Agnella suum quærit amabilem
Desponsata Deum per rigidas cruces,
Annos nata decem cum tribus additis
Ætatis teneræ decus.
Gratam reddiderant nobilitas, decor
Multæ diuitiæ, lætior indoles
Portentum ingenij, sed pietas supra
ætatem solitam nitet.

Prouidentia Dei fulget in seueritate erga suos:

B: Agnetis dotes egregia:

Pu-

Pubescente genis Virgineus pudor
Sic ætate micat, nullus vt obuiam
Non miretur ouem, non minio rubet
Sed natura dedit decus.
Ornamenta piæ Virginis excitant
In primogeniti corde vesuuium
Vrbis Romulidum iudicis, & perit
Ni sponsata detur sibi.
Explorat genium Virginis innubæ,
Tentat blanditijs, muneribus, minis
Lucinæ thalamos, impenetrabile
Sed cor Virgineum ferit.
Sic effata procum de styge pabulum
Hinc discede procul, pectora spiculis
Sunt intacta tuis, possideat suam
Agnetem Dominus poli.

Tentatur per omnia B. Agnetis inconcussa castitas:

Languescebat amans, nec medicamina
Liuorem poterant tollere morbidum,
Quem riualis amor fecerat intimum
Mactans vulneribus sinum.
Ægrotante pater sic genito volens
Conseruare domum, solicitat piam
Agnellam vt sobolis vulneribus manum
Lucinæ laqueis ferat.
Blanditur varijs delitijs, minas
Intentat rigidas, comperit ærea
Agnellæ in sobolem pectora Virginis,
Vt seruet Domino fidem.

Si

Si terrenus, ait, ſponſus amoribus
Me lactare ſuis poſſet, amabilis
Præ cunctis fateor progenies procis,
Hæc accepta foret mihi.
Sed cœleſtis amans pectoris intima
In tantum penetrat, poſſidet, occupat,
Vt terrena lues nil reliquum ſibi
In me comperiat loci.
Immortalis enim conditor ætheris
Me ſponſam immeritam copulat, annulum
Conceſſit rubeo ſanguinis inclyti
Exornat minio genas.
Se ſpretum & genitum barbarus autumans
Floris Virginei primitias iubet,
Antris in ſtigijs cuilibet obuio
In prædam iuueni dari.
Agnellam ſpoliat turma ſatellitum,
Sed creſcente cito crine puellula
Nullis viſa fuit nuda, theandrici
Sponſi ſubſidio nitens.
Aſt ingreſſa fuit vix loca turpia,
Ciuem cœlicolum cum niuea ſtola
Succurriſſe videt, lumine ſplendido
Perfudiſſe locum impium.
Mox ſpretus iuuenis non piger aduolat
Diſcepturus ouem, fœda libidinis
Tentamenta volens perficere, & ſuam
Sic explere auidam ſitim.

Si ab amatore cæleſti præuentam reſpondet:

Capilli momento creſcentes nudam Agnetem operiũt.

Atten-

Attentare volens corruit Angelo
Prosternitur mortuus filius præfecti. Prosternente virum, clamor ad æthera
Plebis Romuleæ fertur, vt in ſtringem
Armetur gladius ferox.
Deſperatus, ait, tum pater o tetro
Monſtrum de baratro in perniciem meam
Eductum, genito cur iugulum petis
Proſtrato examini ad pedes?
Imbecilla tuam Virgo propaginem
Quo bellare poteſt enſis acumine?
Sic effata patrem, quin potius ruit
Se proprio gladio petens.
Acceſſit petulans corda libidine
Effrænata gerens, ferre Theandricus
Hæc ſponſus poterit qua patientia
Armata tonitru manu?
Cuius dextra poteſt de ſtigio lacu
Inclinata meis mox precibus tuum,
Si tu credideris tollere filium,
Ad clarum reuocans iubar.
Vt mirere mei celſa potentiæ
Sponſi, mox iuuenis regna proſerpjnæ
Immutato animo deſeret, & fidem
Cunctis attonitis dabit.
Hinc effuſa Deum ſolicitans prece
Reſuſcitat Agnes iuuenem ab Angelo occiſũ. Exurgit iuuenis de ſtigia domo,
Agnetiſque Deum prædicat vnicum,
Terrarum Dominum & poli.
Demen-

Dementasse viros turba tumultibus
Confusis reboat, non pia Virginem
Et circæa tonat pocula fundere,
Esse & sacrilegam strigem.
Plebs insana sacræ busta puellulæ
Inflammanda ciet, iudicis impij
Crudeli imperio, & pabula flammeis
Comburenda rogis struit.
Ast Agnella pyram delitias putans
Ingressa vt thalamo nupta tyrannicam
Ludit sæuitiam, flamma ferociam
Deponens fauet hostiæ.
Non est ausa piam lædere victimam,
Quæ flammas veneris vicerat impias.
Vinci non potuit iudicis asperi
Virgo sulphureis focis.
Dissolui cupiens dat iugulum truci
Agnella impauido corde satelliti,
Corpus dispereat, fatur, amantibus
Quod gratum esse potest viris.
Horrescit trepidans vulnera carnifex
Non inferre potens, vrget at hostia
Quæ tandem roseo sanguine purpurat
Extinguitque rogi focos:
Flagrans martyrij sæpe SALESIVS
Quamuis pastor ouem non veritus sequi
Agnetis iuuenis vel senior rogos.
Suspirat, petit, atque amat.

B. Agnes igni comburenda traditur.

B. Franc. Salesius ouis mansuetudinem ab Agnete didicit.

Hinc manſueta nitent corda SALESII,
Et ſic comprimitur bilis atrocitas,
Vt clarum propria martyrium manu
Accerciſſe putes ſibi.
Sic paſtoris opus ſuſtinuit pium,
Vt ſe ſemper ouem crederet, & ſuis
Agnellis niueam præbuit vbere
Doctrinæ ambroſiam tumens.

Cum S. Franciſco Seraphico Paupertatis Euangelicæ victima Deus meus & omnia exclamat ſæpe B. Franciſcus Saleſius.

Ode VI. Dicolos tetraſtrophos.

FAllitur quiſquis pretioſa credat
Cordis humani ſpatium metalla
Nobiles gemmas, ſimul & lapillos
Poſſe replere.
Numinis ſummi ſolidis capacem
Eſſe theſauris homini creato
Sufficit, cunctas vt opes relinquens
Celſa requirat.
Diuites Chriſto vacuos crumenis
Quamuis impletis miſeros putarim,
Pauperes Chriſti pietate plenos
Eſſe beatos.

Capax Dei ſolus Deus replere poteſt.

Mon-

Montis excelſi reſidet ſub ima
Valle Franciſci genitale ſummi
Oppidum, dicunt veteres latini
Aſſiſianum.
Pauperum Chriſti pius hic amator
Naſcitur, viuit ſcelerumque purus,
Pauperem Chriſtum ſimili ſequtus
Sorte requirit.
Omnibus ſpretis Dominum lucratus
Spernitur, veſtem, domus & paternæ
Commodæ ſæclo ſtationis omnem
Deſerit vſum.
Cœlici Regis ſubito iuuamen
Prouidum, promptum, ſimul & paternum
Sentijt ſponſæ numeroſa Chriſti
Agmina iungens.
Prole fœcunda mediante bellum
Sæculi pompis peragit cruentum,
Suſtinet dorſo laterana tecta
Prona ruinæ.
Eſt parum gemmas pretium & bonorum
Spernere, hoc præſtant veteres profani,
Comparat Chriſtum vacuus ſeipſo
Inde beatus.
Nil ſibi de ſe retinens ſeraphin
Carneus, tanto flagrat hinc amore
Spiritus celſos vt amore vincat
Feruidus omnes.

Paupertatis Euangelica miraculum Seraphicus pater Franciſcus

Seraphicus amor in tribus constat Si tribus constat radijs seraphin
Languidus feruor medio solutus,
1. Quod sit sine medio. Et modo quod sit, satietque sacrum
Semper amantem.
2. Quod sit sine modo. Diligit nullo medio Theandrum
3. Quod sit sine termino. Igne Franciscus refluo crematus,
Quo sine aurati solij venustas
Esset egestas.
Diligit Christum pauper Franciscus sine medio. Mente conceptus Deus in repaglis
Corporis vincti, medium creatum
Postulat, cum in se latitans patescat
Per sua facta.
Cognoscitur Deus in terris cum medio. Corde dilectus medium repellit,
Néc creatura mediante suffert
Diligi, nam sic operi maneret
Non operanti.
Sponsa dilectum thalamo requirit
Feruidæ lucis radijs coruscum,
Et timet sponsi proprios sodales
Ne vaga currat.
Angeli cum sint Domini sodales
Sponsa cur tantum metuit repertos
Spiritus? nunquid poterunt docere
Tecta theandri?
Indica mihi vbi pascas vbi cubes in meridie ne vagari incipiam &c. Cant. 1. Angelos certe veneratur omnes,
Sed timet cordis species venusta
Ne sui totum spatium pererrans
Occupet ipsum.

Non

Non creaturam aſt Dominum polorum
Quæritat, nullo mediante ſponſa
Carneus ſponſæ ſimilis Seraphin
Numen adorat.

Nullus excelſi modus eſt amoris,
Cum modos omnes ſuperet Theander,
Diligit Chriſtum ſuper omne factum
Cordis in imo.

Pauper Frã ciſcus Dñ diligit ſine modo.

Diligit Chriſtus famulum fidelem
Teſſeram ſignans reſlui fauoris,
Vulnerum ſacras fodiens cauernas
Corpore toto.

Namque dum fuſis precibus cacumen
Montis Aluerni lachrymis rigaret,
Et Crucis Chriſti monumenta cordi
Figeret alto.

Imprimuntur ſacra Stigmata a Seraphico ſpiritu in modum crucis apparente.

Aduolat celſo veniens Olympo
Igneus pennis volitans Seraphin,
In modum Chriſti Crucifixus abſque
Stipite ligni.

Velat ignitam faciem duabus,
Explicans binan volitat per æther,
Infimis corpus reliquum pedeſque
Comprimit alis.

Flammeos ſacro radios precanti
Lancinat, claui manuum, pedumque
Perforant altus, lateri profundum
Scalpit hiatum.

Hinc

Quid plura Christum quærit, & impias
Inter cateruas anxia militum,
Quorum furori se immolandam
Ni Dominum inueniat reliquit.
Perplexitatem tollit Amasius,
Atque hortulani visitur in modum,
Lactatque mærentem loquelis
Sic lachrymis iterum triumphat.
Excelsa posthæc montis acumina
Conscendit astris proxima, quæreret
Vt sic theandrum, vel rigaret
Continuis lachrymis seipsam.

B. Franc. Salesius Christum quæsiuit ardenter lachrymatus & frequenter pro Christo mori suspirauit;

Illæsa quamuis corda SALESIVS
Seruarit omni & crimine libera,
Quærebat ardentes Theandri
Accubitus lachrymis rigando.
In mortuorum se numero putans
Mactat cruentis corpus aculeis,
Et viuit in Christi reponens
Spem tribulis Theotimus omnem.
Securiorem dans populis viam,
Vt Christianis moribus imbuat,
Ac sponsa perquirat Philandrum
Tradit ei Philothea nomen.
Materna Christus viscera cum ferat
Dilectionis sponsa reciprocos
Suspirat amplexus mariti,
Sic animus Theotimus extat.

Agnel-

Agnelli mansuetudinem Bonus Pastor Salesius In B. Agnetis amantissimæ Christi sponsæ martyrio eiusdem auidissimus æmulatur.

Ode V: Dicolos tetrastrophos.

QVi mactata Dei censeat agmina,
Horrendasque cruces cernat amantibus
Cœlo dispositas, odia crederet
Vltricemque Dei manum.
Verum busta, rotæ, dolia flammea,
Ardentesque crates prouida dexteræ
Argumenta notant numinis in suos,
Castigat quos amat Deus.
Sic frumenta nitent verbere plurimo,
Sic expressa fluunt musta rubentia,
Sic lucens adamas non sine malleo
Emittit radios polo.
Hinc Agnella suum quærit amabilem
Desponsata Deum per rigidas cruces,
Annos nata decem cum tribus additis
Ætatis teneræ decus.
Gratam reddiderant nobilitas, decor
Multæ diuitiæ, lætior indoles
Portentum ingenij, sed pietas supra
ætatem solitam nitet.

Prouidentia Dei fulget in seueritate erga suos:

B: Agnetis dotes egregia:

Pu-

Pubeſcente genis Virgineus pudor
Sic ætate micat, nullus vt obuiam
Non miretur ouem, non minio rubet
Sed natura dedit decus.
Ornamenta piæ Virginis excitant
In primogeniti corde veſuuium
Vrbis Romulidum iudicis, & perit
Ni ſponſata detur ſibi.
Explorat genium Virginis innubæ,
Tentat blanditijs, muneribus, minis
Lucinæ thalamos, impenetrabile
Sed cor Virgineum ferit.
Sic eflata procum de ſtyge pabulum
Hinc diſcede procul, pectora ſpiculis
Sunt intacta tuis, poſſideat ſuam
Agnetem Dominus poli.

Tentatur per omnia B. Agnetis inconcuſſa caſtitas:

Langueſcebat amans, nec medicamina
Liuorem poterant tollere morbidum,
Quem riualis amor fecerat intimum
Mactans vulneribus ſinum:
Ægrotante pater ſic genito volens
Conſeruare domum, ſolicitat piam
Agnellam vt ſobolis vulneribus manum
Lucinæ laqueis ferat.
Blanditur varijs delitijs, minas
Intentat rigidas, comperit ærea
Agnellæ in ſobolem pectora Virginis,
Vt ſeruet Domino fidem.

Si

Si terrenus, ait, ſponſus amoribus
Me lactare ſuis poſſet, amabilis
Præ cunctis fateor progenies procis,
Hæc accepta foret mihi.
Sed cœleſtis amans pectoris intima
In tantum penetrat, poſſidet, occupat,
Vt terrena lues nil reliquum ſibi
In me comperiat loci.
Immortalis enim conditor ætheris
Me ſponſam immeritam copulat, annulum
Conceſſit rubeo ſanguinis inclyti
Exornat minio genas.

Si ab amatore cæleſti præuentam reſpondet:

Se ſpretum & genitum barbarus autumans
Floris Virginei primitias iubet,
Antris in ſtigijs cuilibet obuio
In prædam iuueni dari.
Agnellam ſpoliat turma ſatellitum,
Sed creſcente cito crine puellula
Nullis viſa fuit nuda, theandrici
Sponſi ſubſidio nitens.

Capilli momento creſcentes nudam Agnetem operiũt.

Aſt ingreſſa fuit vix loca turpia,
Ciuem cœlicolum cum niuea ſtola
Succurriſſe videt, lumine ſplendido
Perfudiſſe locum impium.
Mox ſpretus iuuenis non piger aduolat
Diſcepturus ouem, fœda libidinis
Tentamenta volens perficere, & ſuam
Sic explere auidam ſitim.

Atten-

Attentare volens corruit Angelo
Prosternitur mortuus filius præfecti. Prosternente virum, clamor ad æthera
Plebis Romuleæ fertur, vt in stringem
Armetur gladius ferox.
Desperatus, ait, tum pater o tetro
Monstrum de baratro in perniciem meam
Eductum, genito cur iugulum petis
Prostrato examini ad pedes?
Imbecilla tuam Virgo propaginem
Quo bellare potest ensis acumine?
Sic effata patrem, quin potius ruit
Se proprio gladio petens.
Accessit petulans corda libidine
Effrænata gerens, ferre Theandricus
Hæc sponsus poterit qua patientia
Armata tonitru manu?
Cuius dextra potest de stigio lacu
Inclinata meis mox precibus tuum,
Si tu credideris tollere filium,
Ad clarum reuocans iubar.
Vt mirere mei celsa potentiæ
Sponsi, mox iuuenis regna proserpinæ
Immutato animo deseret, & fidem
Cunctis attonitis dabit.
Hinc effusa Deum solicitans prece
Resuscitat Agnes iuuenem ab Angelo occisũ. Exurgit iuuenis de stigia domo,
Agnetisque Deum prædicat vnicum,
Terrarum Dominum & poli.
Demen-

Dementasse viros turba tumultibus
Confusis reboat, non pia Virginem
Et circæa tonat pocula fundere,
Esse & sacrilegam strigem.
Plebs insana sacræ busta puellulæ
Inflammanda ciet, iudicis impij
Crudeli imperio, & pabula flammeis
Comburenda rogis struit.
Ast Agnella pyram delitias putans
Ingressa vt thalamo nupta tyrannicam
Ludit sæuitiam, flamma ferociam
Deponens fauet hostiæ.
Non est ausa piam lædere victimam,
Quæ flammas veneris vicerat impias.
Vinci non potuit iudicis asperi
Virgo sulphureis focis.
Dissolui cupiens dat iugulum truci
Agnella impauido corde satelliti,
Corpus dispereat, fatur, amantibus
Quod gratum esse potest viris.
Horrescit trepidans vulnera carnifex
Non inferre potens, vrget at hostia
Quæ tandem roseo sanguine purpurat
Extinguitque rogi focos;
Flagrans martyrij sæpe SALESIVS
Quamuis pastor ouem non veritus sequi
Agnetis iuuenis vel senior rogos.
Suspirat, petit, atque amat.

B. Agnes igni comburenda traditur.

B. Franc. Salesius ouis mansuetudinem ab Agnete didicit.

Hinc manſueta nitent corda SALESII,
Et ſic comprimitur bilis atrocitas,
Vt clarum propria martyrium manu
Accerciſſe putes ſibi.
Sic paſtoris opus ſuſtinuit pium,
Vt ſe ſemper ouem crederet, & ſuis
Agnellis niueam præbuit vbere
Doctrinæ ambroſiam tumens.

Cum S. Franciſco Seraphico Paupertatis Euangelicæ victima Deus meus & omnia exclamat ſæpe B. Franciſcus Saleſius.

Ode VI. Dicolos tetraſtrophos.

FAllitur quiſquis pretioſa credat
Cordis humani ſpatium metalla
Nobiles gemmas, ſimul & lapillos
Poſſe replere.
Numinis ſummi ſolidis capacem
Eſſe theſauris homini creato
Sufficit, cunctas vt opes relinquens
Celſa requirat.
Diuites Chriſto vacuos crumenis
Quamuis impletis miſeros putarim,
Pauperes Chriſti pietate plenos
Eſſe beatos.

Capacē Dei ſolus Deus replere poteſt.

Mon-

Montis excelſi reſidet ſub ima
Valle Franciſci genitale ſummi
Oppidum, dicunt veteres latini
Aſſiſianum.

Pauperum Chriſti pius hic amator
Naſcitur, viuit ſcelerumque purus,
Pauperem Chriſtum ſimili ſequutus
Sorte requirit.

Paupertatis Euangelica miraculum Seraphicus pater Franciſcus

Omnibus ſpretis Dominum lucratus
Spernitur, veſtem, domus & paternæ
Commodæ ſæclo ſtationis omnem
Deſerit vſum.

Cœlici Regis ſubito iuuamen
Prouidum, promptum, ſimul & paternum
Sentijt ſponſæ numeroſa Chriſti
Agmina iungens.

Prole fœcunda mediante bellum
Sœculi pompis peragit cruentum,
Suſtinet dorſo laterana tecta
Prona ruinæ.

Eſt parum gemmas pretium & bonorum
Spernere, hoc præſtant veteres profani,
Comparat Chriſtum vacuus ſeipſo
Inde beatus.

Nil ſibi de ſe retinens ſeraphin
Carneus, tanto flagrat hinc amore
Spiritus celſos vt amore vincat
Feruidus omnes.

Seraphicus amor in tribus constat 1. Quod sit sine medio. 2. Quod sit sine modo. 3. Quod sit sine termino.

Si tribus constat radijs seraphin
Languidus feruor medio solutus,
Et modo quod sit, satietque sacrum
Semper amantem.

Diligit Christum pauper Franciscus sine medio.

Diligit nullo medio Theandrum
Igne Franciscus refluo crematus,
Quo sine aurati solij venustas
Esset egestas.

Cognoscitur Deus in terris cum medio.

Mente conceptus Deus in repaglis
Corporis vincti, medium creatum
Postulat, cum in se latitans patescat
Per sua facta.

Corde dilectus medium repellit,
Néc creatura mediante suffert
Diligi, nam sic operi maneret
Non operanti.

Sponsa dilectum thalamo requirit
Feruidæ lucis radijs coruscum,
Et timet sponsi proprios sodales
Ne vaga currat.

Angeli cum sint Domini sodales
Sponsa cur tantum metuit repertos
Spiritus? nunquid poterunt docere
Tecta theandri?

Indica mihi vbi pascas vbi cubes in meridie ne vagari incipiam &c. Cant. 1.

Angelos certe veneratur omnes,
Sed timet cordis species venusta
Ne sui totum spatium pererrans
Occupet ipsum.

Non

Non creaturam ast Dominum polorum
Quæritat, nullo mediante sponsa.
Carneus sponsæ similis Seraphin
Numen adorat.

Nullus excelsi modus est amoris,
Cum modos omnes superet Theander,
Diligit Christum super omne factum
Cordis in imo.

Pauper Fra̅ciscus Dn̄ȗ diligit sine modo.

Diligit Christus famulum fidelem
Tesseram signans reflui fauoris,
Vulnerum sacras fodiens cauernas
Corpore toto.

Imprimuntur sacra Stigmata a Seraphico spiritu in modum crucis apparente.

Namque dum fusis precibus cacumen
Montis Aluerni lachrymis rigaret,
Et Crucis Christi monumenta cordi
Figeret alto.

Aduolat celso veniens Olympo
Igneus pennis volitans Seraphin,
In modum Christi Crucifixus absque
Stipite ligni.

Velat ignitam faciem duabus,
Explicans binan volitat per æther,
Infimis corpus reliquum pedesque
Comprimit alis.

Flammeos sacro radios precanti
Lancinat, claui manuum, pedumque
Perforant altus, lateri profundum
Scalpit hiatum.

Hinc fluunt fontes rosei cruoris
Corda Francisci liquefacta nullum
Dans modum flammis, Deus inde fatur
Omnia cordi est.
Tertius tandem radius Seraphin
Occupat mentem famuli fidelis,
Diligit denique sine termino. Terminum nullum titubans sacrato
Figit amori.
Semper accrescens violenter actos
Impetus Cœlo resilire sensit,
Pauperem Christum satiatus inde
Possidet omnem.
Hinc Deo plenus Deus hic frequenter
Inquit est totus meus, & vicissim
Sum Deo totus mutuumque amorem
Emit amore.
Æmulus sacris opibus SALESVS
Amoris Seraphici B. Salesius sicut & paupertatis æmulus. Totus intendit sitibundus auro
Optimo, nullum medium tenebat
Cordis amori.
Non modum Christo Crucifixus vllum
Ponit, & nunquam per amoris ignes
Sufficit dicit volitans columnam
Herculis vltra.
Terminum nullum dedit hic amori,
Semper ardentes agitat flabellis
Pectoris flammas, ait hinc frequenter
Viuat Iesus.

Cum

Cum Sancto Francisco Xauerio Indiarum Apostolo Societatis Iesu altero lumine Castitatis Euangelicæ typo suspirans dicit Salesius satis est Domine.

Ode VII. Tricolos tetrastrophos.

PHæbea lampas Zodiaci domos
Ardore lustrans, vel decorans face
Mentem sophorum curiosam
Quid melius dubiam relinquit.
Suffragiorum copia multiplex
Illuminanti præmia contulit.
Ardoris igniti coronas
Ast alij venerantur almas:
An nosse summum syderis arbitrum
Illuminato mentis acumine,
Perfectiones aut amare
Sit melius varij vacillant.
In laureata cœlicolum domo
Immensitatem cernere luminis,
Aut ignis ardores benignos
Crediderim simile hoc beatis.
De militanti puluere sordidus
Fœliciori sorte cremabitur,
Dilectionis per fauillas
Flammiuomas violenter ardens.

Lux aut ardor in sole quid sit melius dubiũ.

Melior est amoris ardor quam cognitionis lux in infimis terræ locis.

Quam

Quam luce clarus notitiæ Dei.
Quæ vix haberi possit in infimis,
At numen æternum repente
Cum vult amat facile voluntas,
Miraculorum factor in indica
Tellure tanta luce Xauerius
Perfusus, & feruens amore,
Vt det amor radiusque pugnam.

Castitas Euangelica 3 præstat Xauerio 1. mentem illuminat. 2. feruorem accendit. 3. brachia roborat ad pugnam:

Hinc castitatis lumen amabile
Illuminando mentis acumini
Incumbit, ardores amoris
Continuis agitat flabellis.
Et Roboratis brachia viribus
Confortat alti ad classica numinis,
Et gloriosos dat triumphos
Parthenicis generosa virtus.
Quis castitatis lumen Apostoli
Orbis nouelli cœlitus inditum
Non obstupescat? quem triumphi
Non moueant celebres Xaueri?
Sic de futuris præuia dogmata,
Vt virginalis laurea præmij
In perspicacis mente fulgent
Parthenica veteris Sybillæ.
Hinc & Mineruam de cerebri Iouis
Finxere claro lumine proditam
Per cœlibatum præsidere
Dogmatibus studijsque cunctis.

sed

Sed quid moramur ludicra; castitas
Intacta tali luce Xauerium
Ornauit, vt plenus bonorum
In cumulo satis esse dicat:
In dedicati cordis amoribus
Nunquam profatur sufficit, at gradus
Excelsiores semper audet
Accelerans pedibus salire.
Sed notionum lumine plurium
Mentem veretur funditus opprimi
Scrutator immensæ lucernæ,
Icaria similis ruina.
Verum ad triumphos persitus Indicos
Obscura plebis numina, lumine
Fœcundioris destruenda
Aggreditur radij fauore.
Armata quondam hæc Regna Semyramis
Mentita sexum puluere sanguine
Impleuit; ast nectens coronas
Imperium phlegetontis auxit.
Indutus armis lucis Apostolus
Orbis reperti cum stygis agmine
Confligit, & Christo rebelles
De stygijs reuocat lacunis.
Vastauit agros Rex Macedûm indicos
Regnis paternis exiliens, suæ
Tot Regna coniungens coronæ
Ambitionis amore ductus.

Xauerius in amore nũquam dicit satis est sed in cognitione.

Semiramis vicit indos sed tenebras auxit.

Alexander superauit Indos ambitione ductus.

Fœliciorem nullà Xauerium
Præter salutes ambitio tenet,
Et gentis oppressæ cathenis
Subsidium stygijs perenne.
Mactata ferro sæuit in agmina,
Incendiorum ac Æmathius faces
Dispergit, extremam cruentus
Perniciem populis daturus.

Xauerius Alexandro Magno fœlicior.

Lactata verbo lenijt agmina,
Fœliciori sorte Xauerius,
Incendit accensis profanos
Cœlicolum sed amore flammis.
Quis tot locorum plana vel aspera
Non obstupescat, quæ pius Indicæ
Gentis cucurrit doctor vsque
Antipodas animante zelo?
Nullus registrum nec numerum tenet,
Quos de beatis sedibus, aut prece
Sermone facundo, aut timoris
Participes monitis peregit.

Castitate Brachia Xauerij roborata sunt ad triumphos.

Si casta Iudith sic Holophernica
Ceruice scissa messuit impia
Dæmoniorum, quæ ferebant
Lollia multiplicesque diuos.
Inuicta quid non dextra Xauerij
Præstabit Indis, monstra resurgere
Mactata non possunt, iuuante
Auxilio superûm benigno.

Quæ

Quæ fecit Indis bella Xauerius
Hæc in Geneuæ valle SALESIVS,
Afflante ſupremo Theandri
Auxilio ſimilis peregit.
Aſtricta voto ſancta pudicitas
Illuminatæ mentis acumina
Perſtringit in Chriſti rebelles,
Et radijs tenebras repellit.
In notionum luce nitentium
Ne curioſa mente nigredinem
Inducat, erumpit frequenter
Sufficiat radioſa lampas.
Neruoſa reddit brachia caſtitas;
Et ſic leonem dextra domeſticum
Compeſcit, vt cuncto furore
Depoſito SALIVS triumphet.

B. Saleſius Xauerium in caſtitate æmulatus ſimilibus triumphis ornatus.

B. Franciſcus Saleſius S. Franciſco de Paula tanquam Obedientiæ Euangelicæ typo clariſſimo ſpecialiter adhæret, qui cū obedierit, creaturas omnes obedientes nactus eſt, & primo Rupes in terra.

Ode VIII. Dicolos tetraſtrophos.

ORpheus quondam modulis rigentes
Caucaſi rupes agitaſſe fertur,
Saltibus ſyluas varijs rotaſſe
Pectine docto.

Fabulæ cortex homines feroces
Indicat factos rationis vsu
Orphei rectis monitis capaces
Mente reducta.

Imperat Moses phariæ relinquens
Rupibus terræ rigidis vireta,
Virga quæ salsas fugitarat vndas
Saxa resoluit.

Percutit petram, fluuij latentes
Inde voluuntur sitibunda potant
Ora deserto peritura duro
Fonte perenni.

Christus petra fuit in omnibus mysterijs.

Vmbra sed Christi fuit hoc futuri,
Petra qui celso ruit ex Olympo,
Pondus immensum cecidisse terris
Fas erat imis.

Dum luit pœnas scelerum cruentas,
Sarcinam portans renuit leuari,
Hic lapis cunas lachrymis rigauit
Tactus amore.

Sanguinis stillat resecata rorem
Petra dum sacrum scilicem notauit,
Petra percussi lapidis fauillas
Excitat ignis.

Virga nudatam lacerando petram
Elicit fontem niuei cruoris,
Qui lauat sontes, reficitque iustos
Vbere sacro.

Trans-

Transfigit miles lapidem sagitta
Cordis arcanum referans profundum;
Hinc fluit sanguis fluit vnda mixtim
Vulnere facto.
Sponsa languenti rubicunda vultu
Candidi sponsi morientis ora
Spectat, & pulchram faciem decore
Sanguinis ornat.
Vulnerum Christi pius hinc amator
Brutios inter populos, seuera
Rupe Franciscus rigidum reclusus
Duxerat æuum.
Nidulum nactus teneris ab annis,
In pijs Christi manuum cauernis,
Et pedum supplex gemitus columbæ
Saucius edit.
Cordis effusi cruor in frequentes
Riuulos fletus resolutus exit
Sæpe dum laxos lateris patentis
Cernit hiatus.
Paruulus vires trahit hinc lapillus;
Vt silex omnis ferat obsequentem
Subditus motum calabro iubente
Nutibus ipsis.
Fabricam Christo celebrem parabat
Oppidi Paulæ populo iuuante,
Scindit hic marmor, secat iste quercus
Rupe sub alta.

In petra gremio B. Frãciscus Paulanus tyrocinium spiritualis vitæ facit.

Spon-

Sponte sed facto tonitru remulsum
Exilit saxum celeri rotatu,
Omnibus mortem minitans propinquam
Pondere molis.
Territus quisquis subito fragore
Rupis abscissæ veritus ruentem
In caput molem, fugiens reliquit
Pensa laboris.

Rupem cadentem solo verbo sistit in medio colle B. Franciscus Paulanus.

Aduolat promptus celerique passu
Subuenit, fractum scilicem loquelis
Ad monens sistit, medioque fixum
Colle retardat.
Sensibus credas lapidem potitum
Præditum vel sic rationis vsu,
Sistat vt motum celerem cadendo
Voce loquentis.
Efferant prisci modulos stupentes
Orphei post se scilices trahentis
Gressibus miris; fuit hæc profani
Fabula vulgi.
Prædicent cuncti fluuios liquentes
Mosis antiqui, sibi sed Tonantem
Sensit iratum vetito lacessens
Verbere saxum.

Quia Franciscus Paulanus promptum Deo præstitit obsequium et rupes obediunt.

Iusserat Mosi Deus hanc loquelis
Saxeam massam varijs profari,
Vsus at virga populo nitentes
Protulit vndas.

Sed

Sed Dei ſimplex monitum ſequutus,
Siſtit ingentis calaber ruentem
Ponderis rupem medio rotatum
Monte loquelis.
Elicit fontes baculo perennes,
Et ſilex viuos aperit iubente
Riuulos ſancto, ſitibunda lactans
Labra ſuorum.
Sic ſuos numen releuans iacentes
Præcipit ſaxis obedire voci,
Iuſſa quæ nunquam renuit Tonantis
Aſpera quamuis.
Hinc ſuum ſectans humilem patronum
Æmulus, verbo rigidis SALESVS
Rupibus fontes, pluuiaſque cordis
Elicit imo.
Caucaſum tundit rationis almæ
Malleo, duros obedire Chriſto
Sæpius iuſſit lapides, vel ipſe
Iuſſa ſequutus.
Terreæ molis globus obſequentem
Præbet egreſſum è tumulis, SALESI
Inclyti quando rediuiua ſurgunt
Corpora iuſſu.

Rupes cordium obſtinatorum emolliuit B. Franciſcus Saleſius.

Vt

Vt Sanctus Franciscus de Paula submissum sibi Siciliæ fretum Deo obediens in omnibus sensit illud super pallium transnatando: Sic B. Francisci Salesij vox super aquas obedientes Auditur.

Ode IX. Tricolos tetrastrophos.

DVm sacra Christo thura rependeret
Orationis, seque resolueret
Franciscus ardentes amoris
In lachrymas calabrûm colonus.

Cælesti monitu S. Frãc. Paulanus in Siciliam euocatur.

Accessit alto missus ab æthere
Lucente phœbo pulchrior Angelus,
Qui iussa deferret Tonantis
Ad calabrum celeri volatu.
Ornata vestem fibula gemmeis
Mordebat auro fusa coronulis,
Hinc inde flauescens reflante
Cæsaries volitabat austro.
Dilecte rerum, sit ait, arbitro
Cum cuncta certis temporibus fluant,
Est tempus vt Paulam relinquas,
Et proprios fugias penates.

Trinacria appellatur Siciliæ insula propter tres angulos.

Secura pandit brachia Trinacris
Cœlestis astans indiga pabuli
Expectat, & multam ferenti
Sese aperit paritura messem.

Hæc

Hæc fatus auras in tenues abit;
Sed tantus ardor intima pectoris
Accendit, vt cunctis relictis
Ad siculas properarit oras.
Quocunque pergit mira potentiæ
Portenta summæ cuncta resarciens
Ostendit, & morbos fugando
Attonitos populos relinquit.
Quamuis solutis aspera calceis
Conculcet, illum calculus haud ferit,
Non fixa Francisco cruentat
Spina pedis gradiente plantam.
Afflantis auræ tarda molimina
Non sustinebit spiritus, obuia
Quæcunque diuertunt euntem
Interpido superat vigore.
Nep unus alti gurgitis inuias
Opponit vndas gressibus inclytis,
Scyllæque pergentem latratu
Naufragijs celebri retardat.
In præparatam sed prece supplici
Intrat Carinam pauperis in modum,
FRANCISCVS, ast auro patroni
Deficiens patitur repulsam.
Quid plura flexo poplite sic Deum
Affatur, o qui littoris arbiter
Afflicta duxisti per æquor
Agmina purpureis arenis.

S. Franciscus Paulanus miraculorum patrator.

Qui fluctuantis clauigeri pedes
Firmasti in vndis, quo pia me vocant
Mandata neglectis procellis
Ibo tua solidante dextra.

Super pallium fretum siculum transnatat.

Sic fatus alto pallia gurgiti
Imponit, vndæ nil veritus minas,
Et tutus ascendit carinam
Sic socio comitante factam.
Vix cymba fluctus lanea prosperos
Experta soluit, flaminis impetu
Defertur, & lætos triumphans
E scopulis remouet sodales.
Neptunus imo vidit ab æquore
Portenta nullis credita sæculis,
Turmaque Tritonum vocata
Arripuit subito tridentem.
Pulsata rauco classica murmure
Ad bella toto littore personant,
Et iussit armatum parari
Cœruleum populum sub vndis.
Squammata miro gens ruit ordine,
Spretamque credens esse potentiam
Humentis audebat patroui
Innnmeras glomerare turmas.
Ast eleuato vertice paululum
Visoque sancti flaminis impetu,
Ventisque vectari carinam
Lanificam stupuit secundis.

Sic

Sic ſentiendo numinis inclyti
Miraculoſam magnificentiam,
Cognouit authorem bonorum,
Et liquidis remeauit vndis.

Aſt denegatam præuenit ocyus
Afflante puppim numinis æolo
Franciſcus, Aſtantem patronum
Pœnituit petijſſe naulum.

Patronus qui Franciſcum e naui eiecerat obſtupuit.

Secura tantum littora puppibus
Ex hinc fuerunt, nullus vt horreat
Tranſire famoſam Charibdim
Naufragio periturus olim.

Plaudente ſic eſt Trinacrio ſolo
Exceptus, ac ſi miſſus apoſtolus
Mandata facturus tonantis,
Et populis requiem daturus.

Non ſalſa ſummus Littora tranſnatat
Sub veſtis arcta naue Saleſius,
Aſt portat immenſum quietus
Oceanum, & cumulum bonorum.

Aquis præſidet. B. Saleſus qui merſa in undis corpora reſuſcitat.

Immenſa in vndis corpora fætida
Poſt ſæuientis mortis aculeos,
Ad lucis vſuram benigne
Exhibitis reparat Loquelis

Sic ſe obſequentem circulus humidus
Præſtat Saleſo, Littora perſonant
Paſtoris Immenſum Geneuæ
Imperium ſuper omne factum.

Obedienti Diuinis mandatis Francisco de Paula se se submittit aër, & sæpe suspensus visus est lumine perfusus; sic B. Franc. Salesius conuersatus cum Angelis fit aëris Dominus.

Ode X. Dicolos tetrastrophos.

SI tellure potens saxa resoluere
In fontes valuit, sistere pondera
Franciscus propria voce cadentia
Terræ ac si dominus foret,
Si firmis potuit subdere pallia
Taumaturgus aquis, & rate lanea
Transmigrare fretum fluctibus horridum
Vectus flamine numinis.
Quis tandem similis mira potentiæ
Argumenta stupens deneget aerj,
Quando vota pijs narrat amoribus
Effundens solitas preces?
Innati Calaber ponderis inscius
In suprema poli numinis impetu;
Sic tanto rapitur terrea deserens
Vt terræ sapiat nihil.
Non terrena caput fuscat opacitas,
Quando thura sui cordis in æthera
Transmittit, radijs Luminis vndique
Sed mitis facies nitet.

Sæpe S. Franciscus Paulanus eleuatur in aëra lumine circumfusus.

Qua-

Qualis monte ſacro corniger inclytus
Circumfuſus abit Lampadis in modum,
Ex ſermone ſui conſpicuus Dei
Solari radians face.
Sic Paulanus opem continuus Dei
Mendicans humili poplite ſuplicem,
Clarus colloquijs numinis igneis
Totus prodijt igneus.
Quod teſtante ſemel Rex ſiculum ſua
Affirmare poteſt expercntia
Fernandus, Calabrum quem tenet hoſpitem
Tentatus propria caſa.
Nam ſcrutatus atra nocte cubiculum,
Franciſcum medio vidit in aere,
Suſpenſum radijs pondere corporis
Ablato vndique fulgidum,
Iſtam Paula fidem prodigijs dabit
Inſuetis ſolido quod ſtetit aere
Summi Pontificis conſpicuus mithra
Sacris pendula in ignibus.
Iuſſu clauigeri Francica littora
Appulſus, ſubito Rege palatium
Expectante petit pleſſiaci ſoli,
Tunc francum caput imperi.
Opportuna locum reddit amabilem
Hortorum potius magnificentia,
Ex qua delitijs affluit omnibus
Quam ſecti lapidis decus.

Rex Neapolitanus vidit Franciſcum in aëre ſuſpenſum.

Authoritate ſummi Pontificis Paulanus ad Regem Ludouicum XI. proficiſcitur.

Non

Non hic marmoreis turribus inclyta
Reſplendet, parijs fabrica mænibus
Non ornata nitet, fructiferi tamen
Fulget temperies ſoli.

Ludouicus XI. Rex Francorum Vrbem Turonum diligebat propter ſitus amænitatem.

Vrbs antiqua prope eſt nobile ſericæ
Quæ ſuſtentat opus vermiculis datum
Texturæ, ligeris quam fluuius lauat
Chriſtallo ſimilis fluens.
Martini meritis claruit oppidum,
Nec non prodigijs Pontificis Pij,
Huc ſedes ſolitas Rex Lodoicius
Firmarat metuens necem.
Taumaturgus opem quo calaber ſibi
Languenti celerem promptius afferat
Præbens, hoſpitij iura domeſtici
Conceſſit propria domo.
Hinc vt pulchra loci reddat amænitas,
Illinc nota viri maxima ſanctitas
Quod natura negat, ſicque reſarciant
Extinctas ſenio faces.
Verum iuſſa Dei qui necis arbiter,
Et vitæ calabrum ſolicite monent
Vt morbos animi curet, & ætheri
Maturum monitis ferat.
Inter pleſſiaci ſepta palatij
Frondeſcit varijs illicibus nemus,
Horreſcitque rubis ſpina virentibus
Solis apta cuniculis.

Fran-

Franciscvs ſolitas pectoris ignei
Hic arſiſſe faces fertur, & intimos
Sic intraſſe rubos, vt nihil aſperi
Toto corpore ſenſerit.
Hic ſpectante fuit Rege per aëra
Viſus tot radijs vndique lucidus,
Vt phæbi fuerit luminis æmulus
Mira conſpicuus face.
Incombuſta virens ſpina renaſcitur,
Et Moſis redeunt tempora Francicis
Tunc adducta locis, ſarcina corporis
Firmo non grauat æthere.
Accurrit ſubito curia Principis
Præcedente ſuos ſic Lodoicio,
Vt facto tacitus cuncta ſilentio
Spectarit ſine murmure.
Plus ſeptem cubitis aëre pendulum
Cuſtodis dederat lancea militis,
Menſuram, ſuperi quis Dominum ætheris
In terris poſitum neget?
Hinc extincta pijs aura renaſcitur
Franciſci precibus, mortua ſpiritum
Viuentem ex tumulo corpora ſæpius
Deſtructa capiunt nece.
Vnde excelſa petens aſtra Salesivs
Affectu haud pedibus mentis in aëra
Conuerſatus, habet cuncta chariſmata
Quæ in ſancto calabro micant.
Quan-

In nemore caſtelli pleſ-ſiac. Viſus eſt in aëre ſuſpenſus.

B. Franc. Saleſius cū Angelis conuerſatus fit dominus aeris.

Quando sæua tonant iustitiæ Dei
Quassatura caput fulmina in æthere,
In rorem & pluuias vertit amabiles
Iratumque Deum ligat.
Et sic imperium nactus & aeris,
Terrenique soli, litoris humidi
Vt Christum redimat despicit omnia
Calcans sub pedibus tronos.

Vt Sanctus Franciscus de Paula fornacem ardentem ingrediens illæsus triumphat de igne materiali; sic B. Franciscus Salesius flammas concupiscentiæ generose superat.

Ode XI. Tricolos tetrastrophos.

Ignis in omnibus rebus reperitur.

QVamuis Tonantis cella potentiæ
Non ex creatis suscipiant decus,
Ex ignis accensi decore
Notitiam tamen haurit omnis.
Fornacis instar dat pater ætheri
succensus ignes, filius in sinu
Respirat exundans amorem
Ignivomum socius parenti.
Cœlestis aulæ feruor inæstuans
Peruadit omnem militiam poli
Nullumque supremus ministrum
Rex patitur sine lucis igne.

Hinc

Hinc eleuatum luciferum polo
Deturbat alto lumine fulgidum,
Feruore ſancto ac deſtitutum
In ſtygias relegat lacunas.
Voluuntur axes ſtelliferi face
Clari diurna, vel iubar ætheris
Ardoris excluſo fauore
In ſterili radiaret orbe.
Confæderato mixta ligamine
Sic iuncta terris ante rebellia,
Vt cuncta ſubmittant calori
Oppoſitas elementa vires.

Mixta ignis indigēt ſubſidio.

Humana pendet vita per intimi
Hanc adiuuantis ſubſidium foci,
Nullumque ſubducens meretur
Supplicium prometheus ignem,
Caldæa ſummis placat honoribus
Gens cœca tædas numinis in modum,
Aſt igne mulctatur perenni
Sacrilegos meditata ritus.
Erecta templi fabrica ſumptibus
Eccleſiaſtis feruet in ignibus,
Et ſemper accenſis Sabæo
Thure calet genialis ara.
Quin Chriſtus almo proſiliens ſinu
Summi parentis feruet, & æſtuat,
Flammaſque ſuccendens amoris
Vult animas hominum cremari

Ignem venit Chriſtus in terrā mittere vultque vt ardeat.

Hinc præparati cordis in intimis
Hæc sacra Christi flamma recessibus
Accensa Francisci fauillis
Innumeris calefecit orbem,

Accendit Christus ignem in corde Paulani.

Quem blandientis busta libidinis
Tentata quamuis lædere non queunt,
Hunc Charitatis non decebat
Parthenicis spoliare flammis.

Inter rubetum lilia spineum
Seruantur, & flos tutus odoribus
Perfossus exhalat fragrantem
Flante suum Zephyro vaporem.

Sic castitatis flosculus in rubis
Se castigantis corporis eminet,
Paulanus hinc artus cruentos
Stelliferis lacerat cathenis.

De charitatis flammiuomis rogis
Interna toto feruida pectore.
Torrentis in formam feruntur
Diliuuium paritura flammæ.

Paulus II. Camerariũ Paulam mittit vt certior foret de miraculis Paulani.

Hinc sæpe prunas in manibus terit
Spectante Pauli tum camerario,
Signoque virtutes probantur
Pontificem dubium tenentes.

Hinc corda fratrum quo renuentium
Austeritatis stricta ligamina
Inflammet, ex tactis quaterno
Carne focis renitente voto.

Ambu-

Ambusta signum ligna sacrarij
Testantur istud plessiacæ domus;
Quæ gloriosum angore pressis
Dat populis tumulum loquentem.

Prunis repletum tempore cacabum
Qui sensim hiberno tigna cremauerat,
Astante tunc fratrum corona
Innocuis manibus ferebat.

In conuentu plessiaco terit ignem manibus vt fratres ad quartum votum vitæ quadragesim. ascendat.

Extincta solo lumina lampadum
De charitatis flamine suscitat,
Et bullientes reddit ollas
Impositas cineri tepenti.

Miraculorum sed superat fidem
Quod fabricandis mænibus accidit,
Fornacis accensæ minaces
Ingrediens reparat ruinas.

Incensa fornax vndique flammeos
Ructabat ignes, nulla remedij
Sese offerebat spes futuri
Ni calaber subito subintret.

Fornacem ardentem ingreditur Paulanus & egreditur illæsus.

Maiore flamma numinis intimum
Afflancte pectus non veritus faces
Exæstuantes, sic quietus
Ingreditur remanetque tutus.

Oblita suetam flamma ferociam
Non audet artus lædere frigidos,
Se seque deuictam fatetur
Magnanimo calabro iubente.

Frendente quondam sic babylonico
Accensa fornax principe septuplum
Plusquam solebat, non hebreos
Flante Deo tetigit puellos.
Sic flamma victrix victa potentiam
Agnoscit alti numinis in suis,
Et charitatis busta summam
Arripiunt animata sedem.
Paulanus imo sub cinere, & focos
Ardentiores seruat, & omnibus
Submissus omnes clariores
Exuperans dominatur igni.

Flammis amoris impuri nõ vritur B. Franc. Sales.

Hunc æmulatum flamma SALESIVM
Non lædit vltrix, cum veneris faces,
Sexumque formarum & venustam
Effigiem fugiat repente.
Hunc impudicis alloquijs petens
Ausu impudenti garrula fœmina,
Est victa dum fœdas pudico
Insidias iuueni tetendit.
Diuina fornax cordis amoribus
Ardentiores inseruit rogos,
Sputisque conspersum reliquit
Auxilio superante scortum.

Vt

Vt B. Franciscus Salesius S. Francisco Paulano firmiter abæreat & sequatur in omnibus, illius tertij ordinis cingulo tanquam Charitatis funiculo voluit insigniri in signum Obedientiæ.

Ode XII: Dicolos tetrastrophos.

QVamuis vincla ferant dedecus impijs
Commissoque notent crimine tesseram
Infamem & scelerum pœna scatentium
Vltoris gladijs reis.
Sacris gaudet amor funibus, & Deus
Libertatis amans arbitrium iuuat,
Quando cuncta trahit libera fluxibus
Rorans interius suis.
Et diuinus amor corda fidelium
Inflammans laqueis corda reciprocis
Sic diuina trahit, præstet vt omnia
Iustorum arbitrio Deus.
Delirabat opem Sparta petentibus;
Quæ vinctum laqueis herculis iconem
Ferratis dederat, flammea cum ligent
Alcidem in stygio specu:
At diuinus amans nectit amasijs
Fœlices laqueos, dulcia vincula,
Vt torquata ferant agmina gloriam
Cœlestem populis pijs.

Spartiani herculem alligatum in templo tenebant vt eum ad auxilium præstandum compellerēt.

Et

Et cœlestis opem conditor afferat
Securam, memorans sacra ligamina
Concessura suis sic cumulum boni
Vt cunctam satient sitim.

Tertiariorum ordinem instituit Paulanus.

Torquatos equites inter amabiles
Franciscum instituit, quem calabrûm decus
Exclamant populi finibus vltimis,
Summi & delicium poli,
Hinc dilecta Deo scuta Seraphicus
Ales fert calabro, stemmate charitas,
Ignitis radijs fulget & igneum
Inuestit subito virum.
Circumfusa volat spirituum phalanx,
Et lumbare gerens nexuit aureum,
Torquatorum equitum nobile symbolum
Et summi decus ætheris.
Hinc diffusa suis stemmata filijs
Multis communicat, seu crucis asseclis
Vitam pisciculis qui solidant suam
Vestiti & simili stola.
Seu queis vita fuit mixta, sed æmulis
Francisci vario schemate lucidi
Virtutum e calabri mellea flosculis
Certatim rapientibus.

Gloriabatur B. Salesius de cingulo tertij Ordinis S. Franc. Paulani assumpto.

Inter præcipuos eminet inclytus,
Taumaturgus opem qui gerit omnibus
Toto solicitis orbe SALESIVS
Qui fundunt tumulo preces.

Huic

Huic hærere volens nomine quem refert,
Virtutesque sequi sacra ligamina
Permixti Minimûm suscipit ordinis
Se vilem atque humilem putans.
Sic torquatus eques ordinis intimi
Non ingrata sciens vilia numini,
Franciscum minimum non veritus sequi
Submissa vt soboles patrem.
Gens Hispana suum Velleris aurei
Vsque ad cælicolas nobile symbolum
Exaltare potest, tessera vilior
Pastori Salio placet.
Aurati radiat gloria velleris,
Quando in lanifico stricta ligamine,
Sic expressa nitor flammea Charitas
Huius quin laqueum putes.
Hoc sacro trahitur fune SALESIVS
Exaltata cruci fortiter alligans
Nec so lui cupiens corda theandrici
Confixus capitis rubis.
Mirentur veteres vellera principis
Inuicti Gedeon rore tumentia,
Queis signata noui est gratia fæderis
Portans diluuium boni.
Vellus fatidicum sydereæ domus,
Et lumbare sacrum rore SALESIVM
Lactat, cælicolum pocula nectaris
Diuini & famulo parat.

Cingulum S. Francisci est vellus aureum a Charitate,

Gedeonis vellus superat.

Non

Non mirere pius gestat episcopus
Si vellus minimum, tondet & allicit
Non deglutit oues pastor amabilis,
Sed pascit, fouet, atque amat.
Reges Franciadum magnanimos duces,
Qui firmare suo Lilia sanguine
Sunt ausi meritam munere lauream
Torquata cumulant cruce.
Hic expressa nitet forma columbulæ,
Quæ sacræ triadis tessera spiritum
Signat, cæruleo nixa ligamine
Quam reges meriti gerunt.
Instaurata fuit gloria cinguli
Quod gestabat ouans sæpe SALESIVS
Francisco minimûm principe quem duces
In magno pretio tenent.
Quem qui sceptra tenet Gallica plurimis
Sectatus proauos auget honoribus,
Et se de sterili stirpe propaginem
Francisci auxilio vocat.
Commendata satis sacra ligamina
Obmissis reliquis esse putauerim,
Quod summo fuerint grata SALESIO
Addens stemmatibus suis.
Si doctoris opes vincula gentium
Inter præcipuas annumerat pius
Lucas, & solij vel diadematis
Præponit pretio Iugum.

S. Paulus sua vincula præferebat sceptris, & regnis sic. B. Salesius funiculum charitatis quo vinciebatur.

Has

Has Franciſcus opes vincula pauperis,
Hæc præfert Calabri diuitijs ducum:
His vinctus ſuperum ſe domino ligat,
Nil præter cupiens ſibi.
Quis nos a domini ſcindet amoribus?
Vinctus his laqueis ore SALESIVS
Exclamat; ſuperi, vel ſitis, aut fames
Non ſentes, tribuli, cruces. *Quis nos ſeparabit a Charitate Christi? Paul.*
Non mortis timidus pallor, amaſio
Vitæ blanditiæ, diuitiæ, decus
Diuiſum poterit ferre SALESIVM
Dilectum a ſuperum Deo.

Ad Laudem S. Franciſci de Pau la Hymni.

Hymnus I.

Paula pugnantem dedit alma terris;
Sed triumphantem Turones Olympo
Eleuant, ſæclo calabri tulere,
Gallia cælo.
Vix puer ſyluis meritam recondit
Abditus vitam velut Æthna flammas
Cordis arcano, velut axis ignes
Nutrit amoris.
Sponte productis dapibus ruinas
Corporis ſarcit, rigidum cubile
Præbuit tellus, tegit omne corpus
Obſita veſtis.

Huic fidem præſtant elementa firmam
Sæuiant fluctus, tumidos coërcet
Freueant ignes, rabiem retundit
Cælicus ardor.

Non lues peſtis calabro iubente
Latius ſerpit, tumulus ſeueris
Legibus fractis rediuiuus artus
Fœdere iungit.

Gaudio cœlum reſonet perenni,
Gratias tellus ſuperis rependat,
Et trinum pangat decus ac honores
Lætior orbis.

Hymnus II.

SI ſolis reperat ſydera paruulis
Expulſo veteri numinis æmulo,
Qui celſo veniens paruulus æthere
Sublimem poſuit ſtatum.

Franciſcus vacuum Luciferi thronum
Ex paruis Minimus poſſidet inclytus,
Et ſummo feriens aëra vertice
Serpentis caput atterit.

Exertet triplici guttura cerberus
Latratu, rugiant vt leo dæmones,
Seu mundus petulans, ſeu caro ferueat
Victricem metuunt manum.

Hinc

Hinc transfixa cadunt monstra superbiæ,
Non terno vt reliquis subdita vinculo,
Verum bis geminis obruta nexibus
Votorum subeunt iugum.
Hostili meritum puluere sordidus
Cingat flore caput, laurea dexteræ
Æternum vireat; cælicolæ canant
Victoris decus arduum.
Sit summæ Triadi gloria, canticis
Æternis resonet pennigerum cohors,
Dum celsis humilem sedibus eleuat
Astrorum deus optimus.

Hymnus III.

POsthumum quisquis rutilare cernat
Martyrem, spectet monumenta sancti
Mira Francisci tumulus loquelis
Addita pandit.
Impetus quondam memorat cruentos
Dum furit laxis rabies habenis,
Hæresis quando rugiens ferebat
Bella sepulchris.
Aduolat templo rigidus satelles
Marmoris rumpens tegumenta sacri,
Extrahit pectus varijs rotandum
Fune meandris,

Plus decem Lustris lapidi quietum
Corpus annorum iaculum terebat,
Integris vt si rediuiua surgant
Membra lacertis
Busta funestis animata flammis
Corpus æternos solidum per annos
Deuorant, mortem subeunt secundam
Ossa beati.
Plectra non suetos fidibus triumphos
Personent, vocem modulis maritent
Alites sacri, triadique soluant
Cantica laudis.

Mixta Pinciani Montis de Sanctissima Trinitate Gaudia

Gratulatur Alexandro VII. Pont. Max. quod celebritatis Beatificationis B. Francisci Salesij tempore Eminentissimum Cardinalem Flauium Chisium in protectorem totius Ordinis Minimorum secundum carnem nepotem concesserit.

Ode XIII. Tricolos tetrastrophos.

QVi prima ventis carbasa perfidis
Est ausus alto in gurgite fidere,
Prouidit experti patroni
Gnarus opem Celebresque dextras;
Hinc

Hinc qui cremata fugit ab Ilio
Anchiſe natus littoris hesperi
Oras triumphanti carinæ
Aduenienſ Palinura iunxit. *Aneas.*
Hinc militantem ſolicitus ratem
Christus paternum dum volat in ſinum
Commiſit, & clauum perito
Clauigero remeans reliquit.
Iactata puppis ſæpe ſuperbiam
Luſit potentum, thura ferocibus
Accenſa qui monſtris ferebant
Sacrilego viciata ritu.
Fœcunda mater lactea porrigens
Qandoque ſalſis vbera filijs,
Pro lacte ſuxerunt venenum;
Sed proprijs periere flammis.
His tacta ſæclis poſterioribus
Gaudet beato tuta regimine,
Et paſtor Yprenſis laceſſet
Impauidam chiſio tuente.
Secura toto voluitur ambitu
Sic mundialis gloria machinæ,
Vt nulla ſub tanto patrono
Pertimeat ſubijſſe damna.
Aſt inter omnes verticis inclyti
De gratiarum fontibus obuijs
Excepit influxus benignos
Relligio Minimûm frequenter.

Ecclesia sub Alexandri VII. præsidijs tuta.

Sic ſummus imos reſpicit, vt Dei
Exempla ſectans celſa ſuperbiæ
Deſpectet, & vultu ſereno
Det Minimis oculos fauentes.
Protectionis munere fungitur,
Quando puſillo conſpicuum gregi
Virtute præfecit nepotem
Qui feriet rabidos Leones.
Vrbanus enſem dat triplicem ſuis
Vt protegatur tutus ab hoſtibus
Agnellus, & trinum retundat
Tot gladijs feriatque monſtrum.
Sed firmiorem montibus aureis
Illumi natis ſydere dat locum
Inſigni Alexander fauore
Æmathio melior tyranno.
Per tuta celſis paſcua montibus
Cœleſtis auræ flamine pinguia
Grex paruus audebit vagari,
Nil veritus rabiem luporum.
Si noctis abdit præſidio ſuum
Dæmon furorem, ſyderis inclyti
Cuſtodis altorum iugorum
Lux aderit tenebras repellens.
Si luce facto fortiter impetu
Fulgente prædam quærat in arduis,
Cernemus ex alta vomentem
Hunc ſpecula furias inanes.

Alex. VII. Religioni Minim. beneuolus.

Tuti montes aurei pro deffenſione.

Pa-

Pastore tanto quis metuat minas
Ardentiores principis inferi
Quantumuis irati? & furentem
Despiciet Chisio iuuante.
O magne pastor quam dare gratiam
Submissionis, quid ve rependere
Nescimus, in tanto nepote
Cum dederis cumulum bonorum?
Si nostra seruat lingua silentium
Ingrata fertur, si sua proferat
Effata, nil dignum loquetur
Pontificis celebri fauore.
Non nostra sed nos summe rependimus
Ecclesiarum rector & arbiter,
Nam cordis interni tributum
Est meriti pretij moneta.

Eminentissimo Cardinali Antonio Barberino Mons Pincianus gratulatur quod celebritatis B.Francisci Salesij tempore natiuitatem Delphini Regij Igne festino miro Romanorum spectaculo celebrarit.

Ode XIV. Tricolos tetrastrophos.

QVæ monstra cerno per iuga pincij
Excelsa montis? flamma renascitur
Æthnæa sacratum Tonanti
In cineres positura fanum?

Vul-

Vulcanus imis surgit ab inferis
Vt fulguranti fulmina numini
Componat? aut marti laborans
Sacrilegis ferat arma bustis.
Non Æthna flagrat, tosta Vesuuij
Non antra montis flammiuomos globos
Ructare Romanis valebunt
Sub Triadis positis corona;
Accincta lauro tempora Francico
Terris minantem non metuunt Iouem,
Educta cyclopum cauernis
Impauidos feriet sagitta.
Non barbarorum dextra ferocior,
Sed Barberinæ familiæ decus
Hos lucis accendit galero
Purpureo redimitus ignes.
Non Regis vltrix hæc Babylonici
Succensa, fornax fluminis impetum
Torrentis in formam reuoluens
Diluuium minitatur orbi.
Sed fulget alto flamma benignior
Sub monte stellis aucta nitentibus,
Nocturna dum tempus serenum est
In radijs imitatur astra.
Ignis festiuus bonorū futurorum præsagus.
Præsaga faustum Principis incliti
Portendit omen, fatidicos poli
Nascente Delphino loquenti
Nestoreos meditatur annos,

In

In fumigantis montis acumine
Ornata mirum turribus arduis,
Dat franca splendorem corona
Progeniem tuitura Regis.
Hinc inde molem sustinet arduam
Pax fœderato facta beatior,
Dum gestit accensas duorum
Connubio sociare tædas.
Francûm monarchæ corda Theresiæ
Fœliciori iuncta ligamine,
Regnumque promittunt quietum;
Et populis cumulum bonorum.
Hinc inde fulgent stemmata regijs
Ornata scutis, aurea cærulis
Sunt mixta succensæ suprema
Mille faces rutilant corona
Vnita iberis lilia turribus;
Primisque fulgent nomina litteris,
Iungique colles Chisiorum
Fatidicis apibus decebat.
Bellona ponit victa ferociam,
Natoque cessant prælia Principe,
Attrita Delphino iubente
Sulphureis relegantur antris.

Inuitatur Populus Romanus ad festiuam spectaculi pompam.

Ode XV. Tricolos tetrastrophos.

ROmana currant agmina pinciæ
Visura pompam per iuga machinæ:
Spectacla Delphini futuris
Non redeunt semel acta sæclis.
Antonianis Æthna Vesuuio
Iunctus videtur sumptibus, & faces
Sic arte naturam domante
Sydereæ cecidisse terris.
Miraculosi Mosis in igneis
Spectanda spinis visio nascitur,
Rursumque non tactis videtur
Flamma rubis remanente sano.
Quamuis sacratis ignea turribus
Tentent ruinam fulmina sæpius
Stant tacta Delphino tuente
Templa locis stabilita firmis.
Cernatur alto piscis in æthere,
Qui fulminanti sub diademate
Hinc inde stellatam reuoluit
Igne furens animante caudam.

An-

Antiqua nunquid sæcla resurgere
Spectantur? Vndæ montibus arduis
An rursus assurgunt pluente
Sæpe polo vt minitent ruinam?
Num falsa collis monstra cacumini
Gaudent supremo, squamma per aëris
Humentis an ludens quieta
Planitiem volitat serenam?
Nil cum procellis ignea machina,
Nil cum ruinis fœdera Regij
Commune portendunt notatam
Coniugij sobolem beando.
Nil Barberini magnificentia
Funeste portat, Francia præsulem
Experta Delphinis duobus
Munificum saliens stupebit
Non monstra nostris turribus insident
Antonianis ignibus arduo
Sub colle, sed francûm coronæ
Fatidici celebrantur anni.
Fornacis ardor terreat omnia
Cœlum ruinas fulminis ictibus
Non tentat, ast pacis perennis
Spem tribuit pereunte bello.
Effusi recto tramite pincias
Plebs tendat, oras lumina machinæ
Visura certatim relictis
Acceleret glomerata tectis.

Et

Et Barberino reddita principi
Pro tam ſtupendo munere gratia,
Natoque Delphino per annos
Diluuium refluat bonorum.

LAVS DEO, BEATISSIMÆ VIRGINI, ET B. FRANCISCO SALESIO.

F I N I S.